Digitized by Google

1907

BIBLIOTECA DELLA R. CASA
IN NAPOLI

N.° d'inventario 661
Sala Grande
Scansia 7. Palchetto Stip 1
N.° d'ord. 22

Digitized by Google

Palat. VII 25

Digitized by Google

Digitized by Google

568398

MICHAELIS DENISII

CARMINA QVAEDAM.

VINDOBONAE,

Typis et ſumtibus Ignatii Alberti,
Typographi Caeſ. Reg. privilegiati.
CIↃ. IↃCC. XCIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

VTI

QVALIACVMQVE. HAEC. CARMINA

VIRTVTI. MVSIS. AMICITIAE

SACRA. ESSENT

EA

VIRO. EXCELLENTISS.

ANTONIO. L. B. SPIELMANNO

INSCRIPSIT

AVTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX CARMINVM.

DRAMATICA. Pag.

GASTO FVXIENSIS 3
ALEXANDER TRANS TANAIM 27
ISAAC VICTIMA 49
JOSEPH VATES 64
DAVID PATER 74
CONCORDIA QVALITATVM 88
OTIVM PASTORVM 104

EPICA.

PALATIVM RHETORICAE 112
MORS OSCARIS 132
VENATVS PAPILIONVM 135
VIATICVM 138
VERI VOTVM 139
ARBOR VITA . . . . . ibid.
IN CANEM ΟΡΝΙΘΟΚΤΟΝΟΝ 140

LYRICA.

IN ILLVD: NON EXIES INDE, DONEC REDDAS NOVISSIMVM QVADRANTEM 141
JOSEPHO II. ROM. REGI VIENNAM REDVCI 142
CAROLO PALFFIO ZEMPLINIENSIVM SVPR. COMITI RENVNTIATO 144
NOCTI 146
MVSIS . . . . . ibid.
IN ILLVD: VOCATVS EST AVTEM ET JESVS AD NVPTIAS. ibid.

ELEGIACA.

QVERELAE 148
IN ILLVD: REMANSIT PVER JESVS IN JERVSALEM 157
IN ILLVD: HOC FECIT INITIVM SIGNORVM JESVS IN CANA GALILEAE 158
DE HODIERNIS GERMANIAE POETIS 159
PIVS VI. P. MAX. JOSEPHI II. AVG. HOSPES 164
PARAFRASE ITALIANA DELL' AVTORE 166

Digitized by Google

Pag.

HOMO NAVIS 168
MARS ET MORS . . . . ibid.
DE D. FRANCISCO XAVERIO 169
AEGER MOROSVS . . . . ibid.
LAVS COACTA, NVLLA . . . . ibid.
REPERTOR SAPIENTIS . . . . ibid.
TVMVLVS CICERONIS 170
CANDIDATO POETICES . . . . ibid.
VIOLAS OFFERENTI . . . . ibid.
QVAE HODIE LIBRVM COMMENDENT 171
TYPOGRAPHIAE INSTAVRATIO . . . . ibid.
FRID. JOSIAE SAXONI COBVRG. TVRCARVM VICTORI . . ibid.
GEDEONI LAVDONIO BELGRADI EXPVGNATORI 172
ANDREAE HADIKII TVMVLVS . . . . ibid.
DE MORTE JOSEPHI II. AVG. . . . . ibid.
LEOPOLDO II. AVG. 173
CATHARINAE II. VICTRICI, PACIFERAE . . . . . . ibid.
AD TVMVLVM JOSEPHI SPERGESII . . . . ibid.
TYCHONIS BRAHAEI CEL. ASTRONOMI SYMBOLVM: *SVSPICE ET DESPICE*, ACCOMMODATVM MAXIMIL. HELLIO CEL. ASTRONOMO VIVIS EXEMTO. 174
AD TVMVLVM HENRICI JOH. KERENII PRAESVLIS HIPPOLYTANI 175
AVGVSTO AD D. STEPHANI FANVM DOM. PASCH. PROCEDENTE 176

EPIGRAPHICA.

IMPERATORIBVS ROM. GERM. FAVTORIBVS ARTIVM . . 177
TITVLI CENOTAPHII D. M. THERESIAE AVG. IN AEDE S. STEPHANI 178
TITVLI CENOTAPHII D. JOSEPHI II. AVG. IN AEDE S. STEPHANI 180
WENCESL. ANT. PRINC. KAVNITZII IMAGINI ADSCRIPTVM 182
TITVLVS PEGMATIS HONORIBVS LEOPOLDI II. EXTRVCTI 183
TITVLI CENOTAPHII D. LEOPOLDI II. AVG. IN AEDE S. STEPHANI . . . . ibid.

Digitized by Google

GASTO FUXIENSIS.

ARGUMENTUM.

Temporibus, quibus Comitum dignitas oon multum iofra regiam erat, Gaſto Fuxieoſium in Gallia Comes, Phoebus dictus, Filiuoı ſuum, cui pariter Gaſtooi oomen, ad inviſendum Carolum Navarrae Regem materoum Adoleſceotis Avunculum dimiſerat. Carolus reverſuro ad Suos Gaſtoni Pulverem quendam medicatum in viam dedit, propinandum Patri, ſi rurſus, quod crebro accidebat, a Matre diſſideret. Domi eoortis Gaſionem inter et Fratrem nothum rixis Pulvis hie detectus et venenum probatus innocuo Juveni mortem io eareere peperit. Ita *Joh. Froſſarti Chronicon Vol. III. C. 8. ad an.* 1389.

PERSONAE.

GASTO Pater Comes Fuxii.

GASTO Filius ejos legitimus. HUGO Filius ejus nothus.

DROETUS Gaſtoni filio familiaris. OTHELINUS Hugonis avus maternus.

BERALDUS Comiti a conſiliis. PRAEFECTUS Custodum Corporis.

NUNTIUS Caroli Navarraei.

ACTUS I.

SCENA I.

GASTO P. GASTO F. BERALDUS. HUGO.

GASTO P. Agnoſco, Fili! Meus es. Abiiſti meus,
Meus rediſti. Cuncta Gaſtonem probant.
Meus ille ſanguis, qui tibi venas rigat.

Digitized by Google

Iterum paterno pectori tete admove [1]!
Aliquis ſecundo nuntio Matrem beet,
Rediiſſe Natum referat! Huc celeri gradu
Contendat! Gasto F. Iſtud, Genitor! incaſſum imperas.
Me praevenire Filii officium docet.
Thalamum petamus. Matris aſpectu fruar!
Haec pars quieti ſola jam deeſt meae.
Gasto P. Egregia ſenſa, digna cunctarum legi
In corde prolium! Bene eſt. Matrem pete.
Praei, Beralde! Tu Patrem comitem accipe.
Hugo. Malam in crucem [2]!

SCENA II.

HUGO.

Vivone, vel nigras nigra
Feror inter umbras umbra? Quo teneor loco?
Heu vivo, video, ſpiritum inviſum traho
Deceptus, expes, ſpretus, abjectus, miſer!
Sed vivo! Nec vitae pudet? Vivo meae
Spei ſuperſtes! Patris expirat favor!
Hoc ſlante Zephyro litori grato fuit
Propinqua cymba. Triſte naufragium timet
Hoc deſinente. — Miſera, ne pereas, peri,
O cymba! Moriar! Turpe ſervitium execror!
Qui vult ſubeſſe, vivat! Amplector necem.
Gaſtonis iſte purpuram pingat cruor.
Huic victima cado. Spectet et paſcat novo
Oculos theatro! Principis titulum rapit,
Dextram relinquit. Utar hoc dono ſuo [3].

1) Complectitur Filium.
2) Illis diſcedentibus.
3) Stringit enſem.

Praeeſſe populis nequeo, ſed poſſum mori! —
Amice mucro, ſiſte! Fortunam juvat
Prius increpare. Nempe Magnorum dies,
Et nectar aulae debui infelix brevi
Guſtare labro! Cur Pater tectum ſuis
Protraxit umbris? Nunquid haud latui bene,
Dum neſciebam Subditum, Dominum, Aemulum
Beatus imperitia, et laetus mea?
Sed profit iſta ſcire. Cur Frater redit?
Totus ſceleſtis nempe nunc orbis vacat?
Nullusne ſupereſt latro, qui ferro viam
Clauſiſſet illi? Nulla praecipitem ſuo
Datura rupes culmine, vel amnis ſuis
Hauſturus undis? Mortis omiſſae ſcelus
Mea piabo morte 4)!

SCENA III.

OTHELINUS. HUGO.

Quid diri paras!
Hugo. Abſiſte! Oth. Superi! quid ſtruis? Hugo. Moriar, ſine!
Oth. Moriere? Hugo. Certe. Oth. Qua reus noxa? Hugo. Scio.
Oth. Quo teſte victus? Hugo. Patre. Oth. Quis judex fuit?
Hugo. Fortuna. Oth. Caecus ferre judicium nequit.
Quaerendus alter. Hugo. Ah tace! Incaſſum tenes.
Decreta mors eſt. Oth. Nil moror; ſed te prius,
Per quidquid unquam dulce dicebas Avi,
Matris, Patrisque, obteſtor, ut pandas malum,
Quod morte ſolves! Hugo. Pandere quid illud juvat
Non neſcienti? Oth. Neſcio. Hugo. Ergo te latet,
Rediiſſe Gaſtonem? Oth. Novum plane eſt mihi!
An Gaſto rediit? Hugo. Anne te ſurdum putem,

4) Enſem ſibi admovet, ſed irruit Avus.

Quem tanta populi vota, tot plauſus nihil,
Nihil excitarunt? Oth. E mea venio domo
Meo adfuturus Principi, Patri tuo.
Nil audii. Caſus quidem, fateor, gravis
Eſt Fratris adventus; tuum non eſt ſcelus.
Hugo. Sed eſt ruina. Solia non capiunt duos.
Fratri Pater favet. Mihi reſtat jugum. —
Valeto, vita turpis! In gladium ruo! —
Oth. Abſiſte! Neſcis, quantus hoc ictu cadat
Numerus Tuorum. Crede, Genitorem feris,
Matremque perimis. Ipſe te properus ſequar
Avus. Quid haeres? Recole, quo Natae probrum
Vultu ferebam ſemper. Aſſiduam tui
Revolve curam, monita, ſervitium, fidem,
Qua te fovebam, quando maternis adhuc
Implicitus ulnis, abditus noſtra in domo
Juſſu latebas Patris. Haec feci omnia,
Ut te Parentis cernerem quondam loco
Dare jura nobis. Si tibi vitam negas,
Ingratus es mihi, tibi ſaevus, Patri
Pudendus. Omnes caede funeſtas tua.
Hugo. His ipſe dictis nonne mihi mortem imperas?
Huc contuliſti monita, ſervitium, fidem,
Ut me parentis cerneres quondam loco
Dare jura vobis. Ecce jam rapuit locum
Gaſto Parentis! Si mihi mortem nego,
Inutilis ſum tibi, gravis Patri, mihi
Pudendus. Omnes vita funeſtat mea.
Oth. Veniendo Gaſto num tibi rapuit locum?
Hugo. Veniendo rapuit. Oth. Nempe ſic fingit ſibi
Adverſa cuncta, quisquis amittere timet,
Quod diligit. Quaecunque vel fieri queunt,
Jam facta credit. Hugo. Facta, quae vidi, negem?
Utinam adfuiſſes ipſe! Poſt epulas Patri
Rediiſſe Natum nunciant. Quo me putes

Fuiſſe tunc animo? Pater tollit manus,
Exultat. Abitum poſco. Prohibeor, magis
Ut nempe crucier! Interim coelo inſerit
Beraldus illum. — Quo rapis, vehemens dolor! —
Oth. Proſequere. Hugo. Nequeo. Oth. Nemo ſanatur tacens.
Pandenda vulnera. Hugo. Reſpuunt medicam manum.
Oth. Peris tacendo. Hugo. Dum taceo, pereo ſemel,
Bis, dum loquor. Oth. Nihilne canities Avi,
Precesque flectant? Certa tibi conſtat ſalus.
Conſilia ſequere! Hugo. Tarda ſunt. Oth. Teſtor polum!
Aut tu Patrem ſequeris, aut tecum cadam!
Tentanda cuncta. Gaſto faciendus reus 5).
Confide, vinces! — Hugo. Vita mihi rurſum redit.
Reſpiro. Sortis accipe arbitrium meae,
Meditare, penſa, quidquid expediet, jube!
Obtemperabo. Patris ut redeat favor,
Ut Gaſto cedat, effice! Oth. Impendam lubens,
Quaecunque potero; ſcire ſed reliquum juvat.
Hugo. Habeto paucis. Advenam collo applicat
Genitor. Superbus ille ſibi mire placet.
Compello Fratrem. Spernit. O quod tunc tuli
Me vindicandi calcar! Abſtinui tamen.
Faſtidioſa voce: Tu ſalve quoque:
Denique mihi dicit. Patrem, quis ſim, rogat,
Auditque me Fratrem ſuum. Movet nihil,
Comiteque Patre Matris affatum petit.
Oth. Bene eſt. In orbe nemo tam vivit bonus,
Qui non malum ſe videat interdum, et gemat.
Tuum Parentem teſtor. Exemplar quidem
Hic eſt Regentum; gemina ſed multis bonis
Adjungit ille mala. Furor nimium celer,
Et, quae furori noxias ſubdit faces,
Suſpicio tantum ſaepe commaculant decus.

5) Recondit enſem Hugo.

Digitized by Google

Hac eſt petendus igitur. Ut ſiat tuus,
Fac ſuſpicantem. Sufficit. Minuis ſuum
Fratri favorem. Dum favor cedit, ſubit
Deſpectus, odium. Plura quid cupias? Sat eſt.
Quaecunque Gaſtoni rapis, cumulas tibi.
Hugo. Ibo! Parentis animus eſt notus mihi.
A Fratre me ſpretum querar; varia ſimul
Conabor arte facere Gaſtonem reum.
Oth. Veſtigia ſequar ſemper intentus tua.
Ad me dein referto — Hugo. Perſpexi omnia[6]!
Oth. Attende — Hugo. Teneo!

SCENA IV.

OTHELINUS.

Quanta Mortales vehat
Cupido Regni, teſtis hic juvenis mihi eſt.
Subeſſe renuit. Macte, generoſa Indoles!
Non poenitebit eſſe te luci datam
Avo Othelino! Dextera, verbis, dolis
Te promovebo. Blandiar Fratri tuo.
Sibi me faventem credat, infenſum tibi.
Ut regnet Hugo, pereat ut Gaſto, volo!
Sic vindicatur Filiae laeſus pudor,
Sic in Nepote ſanguis exurgit meus;
Sic me artium Aulae denique peritum probo.

6) Abiens.

Digitized by Google

ACTUS II.

SCENA I.

GASTO FILIUS.

Quo me redactum cerno! Qua culpa reum
Sic Aſtra plectunt? Nempe diſceſsi Comes,
Et redeo Servus! Praetulit Nothum Pater!
Quid pateris, anime! Cedis? Hoc Genitor petit.
Reſiſtis? Hoc vult aequitas. Mitis Polus!
Nothone cedam? Nulla me ſceptri quidem
Rapit cupido, fas tamen amo, odi nefas.
Non regna, jus regni ſequor. Jus hoc meis
Eripiet Hugo manibus? Ah caveat meos
Subire vultus! Eſt mihi placida indoles,
Pacisque cultrix, fateor; at gravius nocet,
Quidquid nocere cogitur.— Sed quis meos
Pererrat artus tremor?—Inaccepti metus!
Excedite animo! Mente nunc alacri eſt opus.
Sequor Droetum, nomen o carum mihi!
Conſilia junget—7) Aſtra, nunc veſtram fidem!

SCENA II.

HUGO. GASTO F.

Salveto, Frater! Gasto. Frater eſt nullus mihi.
Amicus eſſe, ſi voles, poteris meus.
Hugo. Utrumque vel neutrum volo. Gasto. Neutrum potes,
Utrumque habere non potes. Hugo. Patrem cave
Tibi concitare! Patris imperium fero.

7) Videt Hugonem.

Digitized by Google

Jubet ille: Me Fratrem voces, jungas manum,
Toleres parem. Sin abnuis, dira omnia,
Juſsique ſpreti vindicem poenam parat.
Sape, dum licet! Gasto. Non eſſe me ſtultum puto,
Hoc ſi Parentis eſſe mandatum negem.
Juſta ille mandat. Hugo. Mene mentiri aſſeris?
Patrem nefanda petere? Sic Gaſto pius,
Obtemperans, manſuetus accipiat Patrem?
O nobilem ferociam! Duplicem para
Victor triumphum! Patris imperium ſimul,
Fratremque calcas. O pudet! — Gasto. Satis eſt. Tace!
Amore caecus iſta mandavit Pater;
Pro te juventus loquitur. Offenſam lubens
Utrique dono. Tu tamen, Juvenis procax!
Meum ſubire rurſus aſpectum cave!
Eſt Gaſto Princeps, ſtolide! non Frater tuus!
Hugo. Inultus iſta perferam, Superi! probra?
Sperni Parentem patiar? Eſt animus mihi
Vindex honoris? Implet has venas cruor
Fundi paratus? Adſit [8])! Haec loqueris mihi,
Demens! nec horres? Gasto. Cede! pollutum procul
Hinc amove tactum [9])! Hugo. Scelus! Gasto. Refer gradum,
Vel te — Hugo. Parentem vindico! Si quid vales,
Ferro probemus [10])! Gasto. Subdito ſcelus eſt ſuum
Tentare ferro Principem. Meum in pares
Ferrum reſervo. Hugo. Subditus non ſum tibi!
Gasto. Rebellis! Hugo. Excors! Stringe, vel medium prius
Te perago. Gasto. Cogor, Coelites [11])! Dirum caput
Transmitto morti [12])!

8) Injecıt manum.
9) Rejicit vi.
10) Stringit enſem.
11) Nudat pariter enſem.
12) Concurrunt, ſed dirimuntur.

SCENA II.

OTHELINUS. GASTO F.

Siſtite, o Superum fidem
Proh quid paratis [13]! Gasto. Latro, Deceptor, Nefas!
Sic vindicas? Sic aufugis? Redde illico,
Quod abſtuliſti! Oth. Quid fuit? Gasto. Fruſtra rogas!
Furem ſequar! Oth. Quid abſtulit? Gasto. Fruſtra impedis!
Oth. Placare, Princeps [14]! neve funeſto tuam
Macula cruore dexteram! Saepe eſt reis
Mori levamen. Si tamen meritum putas,
Aliis relinques dignius. Gasto. Furem reduc,
Amice! vel me mitte! Oth. Da ſpatium breve,
Princeps! amico, ſupplici, famulo, precor!
Reconde ferrum! Collige ingentes minas!
Gasto. Ah, Otheline! quanta me reducem excipit
Procella fortis [15]! Hinc ſunt patrii Lares?
Galloſne ſpecto, vel Scythas? Nothum cupit
Efferre Genitor. Nothus inſultat mihi.
Vitam tueri cogor. Eripitur ſinu
Hac luce pignus carius. Dicis tamen:
Reconde ferrum, collige ingentes minas!—
Nothum ſequamur! Omnis eſt damno mora!
Oth. Quod pignus ille rapuit? Gasto. Hoc aſtris quidem,
Mihique notum eſt! Sufficit! Majus nihil
Hoc me tenere credidi. Oth. Hanc mereor fidem
Semper probatus hactenus Stirpi tuae,
Patri fidelis? Perfidis merces dari

13) Gaſtoni ſeſe agitanti quidpiam charta obvolutum ſinu excidit, quod Hugo obſervans tollit, et ſe proripit.

14) Semper Gaſtonem retinet, qui Hugonem inſequi nititur.

15) Recondit enſem.

Digitized by Google

Conſuevit iſta. Gasto. Perfidis pando nihil,
Fidisque multa; nemini pando omnia. —
Sed quando fidum pectus, arcani tenax,
Uſumque rerum ſpecto, ſi ſpondes opem,
Pandam, quod optas. Oth. Spondeo. Gasto. Mentem applica.
Navarra, noſti, Carolo regi ſubeſt
Fratri meae Parentis. Hic olim audiit,
Frigere ſaepe amoris extincti faces,
Et diffidere Conjuges. Hinc, dum viam
Relego ad Parentes, Pulveris quidquam dedit,
Et, ut propinem, ſuaſit, offenſum Patrem
Si quando Matri cernerem. Tanta intimo
Sinu tenebam dona; ſed caſus tulit!
Cecidere veſte. Vidit et rapuit celer,
Fugaque ſe ſubduxit Infamis! Meum
Penſa dolorem, quando Genitorum integra
Praepono vitae! Oth. Plura credebam quidem
Te perdidiſſe; pretia ſed rebus facit
Perſaepe finis. Hugo reſtituet tibi,
Confide, quidquid abstulit. Tantum, Pater
Ne reſciat, caveto! Mens praeceps Patris
Tibi nota abunde eſt — Aufer hinc properus pedes!
Genitor propinquat! Gasto. Adeo. Oth. Per Superos precor!
Vita Parentem! Torvus ingreditur! Peris!
Jam forte veſtrae eſt conſcius pugnae. Gasto. Obſequor. —
Oth. Abiit. Triumpho! Nunc ruere Gaſto incipit.
Doli, favete!

SCENA IV.

GASTO P. OTHELINUS.

Quo tulit Natus gradum?
Nuſquamne viſus Hugo? Conjunctos ſibi
Venio videre Filios. Unus fugit,

Digitized by Google

Abeſt et alter. Oth. Judicem metuit reus.
Haec cauſſa fugiendi fuit. Gasto. Natus reus?
Quid haec tegit caligo? Quid pallor tuus,
Frons obvoluta nubibus, fixus ſolo
Portendit oculus? Libera Patrem metu!
Valentne Nati? Quid ſiles? Oth. — Princeps, fuge!
Quicunque proprii ſanguinem Fratris ſitit,
Bibet et Parentis. Filii dirus chalybs
Tibi eſt timendus! Gasto. Cujus? Oth. Heu vidi miſer—
Nequeo referre! Gasto. Quid Patrem tectis necas,
Amice! verbis? Explica! Oth. Heu vidi miſer
Periclitari nobilem gemina Domum
In caede Fratrum! Funeri Hugonem tuum
Vidi propinquum! Saevus hunc Frater manu
Egit coruſca! Morte defunctum improba
Jam nunc videres; dextera ereptus mea
Aufugit. Gasto. Aſtra! Coelites! Tantum nefas!
Hac in domo! Fratres duo, et Nati mei!
Doleamne? Vindicemne? Quid primum loquar,
Quid ultimum? Latro impie, paternae probrum
Labesque ſtirpis, Gaſto! Cur nomen meum
Ad iſta portas? Scelera ſic nobis refers?—
Quo fugit Hugo? Oth. Fratris exciderat ſinu
Charta involutum quidpiam; raptum illico
Secum abstulit. Videre Gaſtonem fuit
Tunc exilire, furere. Theſaurum ſibi
Periiſſe clamat, nolle ſe vitam amplius
Protrahere. Ferro rurſus in Fratrem emicat.
Sed ſiſto denique, perditum quid ſit, rogo.
Aperire renuit. Inſto, promitto fidem,
Evinco tandem. Avunculi donum ſui
Hoc eſſe narrat, et propinandum tibi,
Si rurſus eſſes Conjugi offenſus tuae.
Per hoc redire priſtinam thalamo fidem,
Foedus coire fortius. Verbis quidem

Sic Gaſto dixit; alia facundus timor
Diſſerere viſus. Membra trepidabant ſitu,
Maculabat ora proprius ſceleri color.
Quid plura? Crimen crimini jungit manum.
Scis, quid putem. — Qui Filii tentat necem,
Fors et Parentis tentat. —

SCENA V.

HUGO. GASTO P. OTHELINUS. PRAEFECTUS CUSTOD.

Ah dirum nefas [16])!
Nondum trifulcis ignibus coelum ruit!
Scelus triumphat! — Teneo te, dulcis Pater!
An Patris umbras teneo? Gasto. Quid, Fili! refers?
Hugo. Uterque noſtrum hac luce Gastonis manu
Stygem videre debuit! Raptus neci
Ab Othelino vivo, tu vitam mihi
Debes, amate Genitor! Gasto. An pulvis fuit
Timendus ille — Hugo. Toxicum pulvis fuit,
Veneficusque Gaſto! Gasto. Inauditum ſcelus!
Probasne? Nate! Hugo. Catuli id exitium probat.
Huic ante partem pulveris modicam dedi,
Qua luce monitus, neſcio, monitus tamen.
Nunc dira patitur. Beſtiam ſumto ſcias
Agi veneno. Forte jam periit modo,
Dum te requiro. Vindica noxam, Pater!
Te vindica, me vindica! Laeſit tuos,
Quicunque te laeſit. Reum cuncti vocant,
Qui voluit in te rapere cunctorum Patrem.
Gasto. Quo devenire ſcelera, quo ferri queat
Animi libido, ſpatia quae pateant malo,
Perſpicio tandem! Filius Patrem docet,

16) Proruens, Patre nondum obſervato.

Nihil eſſe ſanctum, tamque contiguum polo,
Quod impios coerceat. Ferro necem
Fratri paravit, toxicum miſcet Patri!
Haec fertis? Aſtra! Scimus. Aſtrorum vicem
Subeunt Regentes. Grande judicium mihi
Commiſit Aether. — Nunquid et Patrem abstulit?
Pater, peroſa ſarcina, et nimium gravis,
Ubi Natum amare non licet! Natus, Scelus,
Iudex, Paterque! Quo feror! Quo me rapit
Iſthaec quadriga! Plecto, ſi plecto, meum.
Si parco, parco crimini. Numen pium!
Si puniendus eſt, quid eſt igitur meus?
Aut ſi meus, cur puniendus? Oth. Eſt tuus,
Sed eſt ſceleſtus. Nemo, dum ſapiat, ſcelus
Vult poſſidere. Gasto. Nemo progeniem ſuam
Vult interire. Oth. Qui Patri fatum parat,
Ceſſavit eſſe Filius. Gasto. Qui non poteſt
Fatum parare Filio, Genitor manet.
Oth. Quicunque vult, poteſt. Gasto. Nequit, quicunque amat,
Nocere amato. — Fallor, an Patri nihil
Succurrit ultra? An perdidit mollis ſuam
Natura vocem? — Perdidit! Ratio imperat!
Luet ſceleſtus facinus, et poenas dabit
Laeſi Parentis! Precibus opponam virum!
Feror benignus. Pariter et juſtus ferar!
Praeſto, Satelles! Praef. Quid jubes [17]? Gasto. Natum alterum
Hodie reverſum carceri dari volo.
Luſtrate cuncta! Ducite inventum probe!
Sic impero. Referto tu poſthac mihi [18]!
Sequere, Otheline! Praef. Nulla jam ſupereſt mora [19].
Eamus.

17) Prodit cum Armatis.
18) Ad Praefectum.
19) Ad Armatos, quibuscum viſis advenientibus retro ſubſiſtit.

Digitized by Google

SCENA VI.

DROETUS. GASTO F. PRAEFECTUS.

Utinam, Gaſto! manſiſſet tibi
Praeſens Droetus! Vindicem, juro, tuum
Senſiſſet Hugo! Quando ſic Superis tamen
Viſum eſt, ut abſim, ſequere, quae ſuaſi modo.
Adi Parentem, facinus Hugonis refer.
Gasto. Sequor [20]. Quid hi? Droete! Dro. Quid geritur rei?
Praef. Ignoſce, Domine! Patris imperio adſumus.
Gladium peto. Gasto. Gladium petis? Dro. Juſſu Patris?
Praef. Ita eſt. Gasto. Droete! Dro. Gaſto! Gasto. Pars melior mei!
Quid eſt agendum? Pergo? Dro. Si renuat ſequi [21]?
Praef. Erit tenendus. Gasto. Quam Pater cauſſam adtulit?
Praef. Hanc me latere voluit. Gasto. An quiſquam fuit
Praeſens Parenti, quando mandatum dedit?
Praef. Fuit Othelinus et Hugo. Gasto. Praeſagum gelu
Mihi membra ſtringit!— Liceat exigua mora
Vacare Amico [22]. Praef. Licet. Gasto. Eo, quo vult Pater,
Quo fata ducunt. Vincit inimici dolus,
Et Othelinus fallit! Inſontem premunt.
Hoc me vel inter vincula beatum facit!
Vale, anime mi, Droete! Gaſtonem tuum
Amare perge, neve promeritum puta—
Dro. Amice, ſatis eſt! Ictibus pectus meum
Succumbit iſtis! Plura virtuti meae,
Quam ferre poſſit, imperas! Non, non ſinam
Peccare ſortem! Nemo Gaſtonem petet,
Niſi per Droetum. Gasto. Stabile virtutis decus

20) Dum abit, videt Praefectum cum Armatis, qui accedit.
21) Ad Praefectum.
22) Ad Praefectum.

Digitized by Google

Perferre dura eſt. Me impium fieri cupis?
Dro. Poena impiorum eſt. Impius fieri cupis?
Gasto. Droete! promeruiſſe poena eſt, non pati.
Dro. Vulgus, pati quem cernit, hunc meritum putat.
Gasto. Dum me moraris, Amice! me meritum facis,
Pater imperat. Dro. Fas abnuit. Gasto. Laedo Patrem.
Dro. Perimis Amicum. Gasto. Filius ſemper fui;
Coepi eſſe Amicus. Eſt Pater. Jubeat mori!
Obtemperabo. Pergimus, Amici [23]! Vale!
Dro. O rigida virtus! Ergo ſic curam tui
Deponis omnem! Non ego! Ferro juvat
Adeſſe Amico [24]! Gasto. Quid paras? Potius noces,
Dum te juvare credis. Eſt Gaſto tibi
Adhuc amore dignus, aut unquam fuit,
Precor, adquieſce! Coelites ſalvum dabunt.
Brevi revertar. Opprimi virtus nequit [25].
Dro. Valeto, amice Gaſto! — Quid dixi! Tuum
Linquis Droetum? Gaſto! Quo properas? Redi! —
Nil audit! Abiit!

SCENA VII.

DROETUS. SATELLITES.

Ergo ſic patior premi,
Sic fraude dira perdo dimidium mei,
Sine quo recuſo vivere! Indignas feret
Tenebras pudendi carceris? Blanda interim
Fruar quiete liber? Hoc nolit fides,
Hoc ſacrum amoris foedus! Aut mecum meus
Gaſto beatus vivet, aut pariter gemam!

23) Ad Armatos.
24) Vult Armatos impetere, ſed prohibetur.
25) Abducitur.

Conſilia, dextri Coelites [26]! — Aliquid ſubit! —
Amor, faveto! Milites, Vigiles [27]! Cito
Adeſte, ruite, Principis quosquos ſui
Movet periculum! SATELLES 1. Quid petis [28]? SAT. 2. Quid eſt? DRO. Cito
Properate! SAT. 3. Socii, tela! DRO. Fatalis dies
Incumbit aulae [29]! Proditor! Buſtum! Neces!
SAT. 1. Commilitones! SAT. 3. Dux abeſt! DRO. Vobis ducem
Praeſtabo. Quid tardatis? Hinc, illinc malum
Propinquat! Ah volate! SAT. 2. Jam non eſt mora!
SAT. 4. Arma, arma Socii [30]! DRO. Ceſſit ex voto dolus!

ACTUS III.

SCENA I.

OTHELINUS. GASTO P. BERALDUS.

Ne fide, Princeps! Crede, juſtitiae tuae
Te poenitebit! Eloquens ſaepe eſt ſcelus,
Lacrimasque fundit. Filii vultus Patrem
Rurſum excitabit. Noſco Gaſtonis dolos.
Genua tenebit, flebit. Ignoſces reo.
Qui te perire voluit, aſpectum tuum
Jam non meretur. GASTO. Certa ſceleratum manet
Vindicta; ſed cur judicem ignoret ſuum?
Videat Parentem, videat! Et creſcat magis
Viſo ex Parente poena! BER. Sic ſolem videt
Indignus etiam. Sceleris ut poenam ſui

26) Meditatur.
27) Inclamat Scenae.
28) Prorunt in Theatrum.
29) Stringit gladium huc illuc verſus.
30) Dum in diverſa ſparguntur, Droetus carcerem ſubit.

Se ferre merito credat, auſcultet Patris
Ex ore poenam Natus. — OTH. En vitae tuae
Propinquat hoſtis! BER. Protege inſontem, Deus [31]!

SCENA II.

DROETUS. PRAEFECTUS CUM CUSTODIBUS ET PRIORES.

GASTO. Ades, nefande Proditor [32]! — Quid hoc rei eſt?
Quae monſtra? Natus ubi manet? Vigiles! quid eſt?
Siletis omnes? PRAEF. Filium juſſu tuo
Cuſtodiendum tradidi. GASTO. Quid tum? PRAEF. Interim
Deluſit iſte [33] milites ſimulans dolos:
Irent, tumultum ſiſterent! Solum hoc ſcio.
Abſens fui — GASTO. Solum hoc ſcio! Inſanum caput!
Statione abire militem? PRAEF. Captum tibi
Referre Natum debui. GASTO. Verum id quidem.
Sed — DRO. Parce, Princeps! Crimen hoc totum meum eſt.
Ego avocavi milites, Natum tuo
Rapui furori. Suaſit hoc audax amor.
Expecto vincla, carceres, etiam necem!
Si liberare innoxium ſcelus vocas,
Volo ſceleſtus eſſe! BER. Proh qualis fides [34]!
GASTO. Doloſe Juvenis, Principi illudis tuo!
Hoc fine nempe degis in noſtram immerens
Aſſumtus Aulam, juris ut ſanctus tenor
Calcetur, ut Parentis e manibus reus
Per te trahatur Natus? Eloquere ocius!
Ubi moratur? DRO. Natus eſt praeſens tibi.
GASTO. Ubi eſt? DRO. In iſto corde. Quid dubitas? Fode,

31) Seorſim.
32) Droetum pro Gaſtone habens.
33) Droetum innuens.
34) Seorſim.

Rimare! Gasto. Sic te vindici opponis Patri?
Moriere! Dro. Amicus vivet. Gasto. Extinctum dies
Te cernet iſta! Dro. Nulla me cernet dies
Non diligentem. Oth. Principi loqueris tuo.
Fatere! Dro. Dixi. Gasto. Gallo delufum Patrem
Narrabit orbi. Vindice carebit nefas,
Aget triumphum. Et hoc fero? — Miles, cito!
Feres catenas [35]! Dro. Oſculis ſtringo. Gasto. Specu
Caeca latebis! Dro. Lucet in tenebris amor.
Gasto. Peribis! Dro. Ibo funere ſuperbus meo,
Victi tyranni nomen ad manes feram,
Servati Amici! Gasto. Rapite projectum Nefas!
Habeat ſepulcrum vivus [36]!

SCENA III.

GASTO F. ET PRIORES.

Ah perii, Deus!
Gasto F. Amice, venio! Poenitet turpis fugae.
Pater! Otheline! venio! Veſtrorum ſcopus
Adſum furorum! Reddite catenas mihi!
Me, me decent! Gasto P. Scelefte [37]! Sic ludis Patrem?
Manibus Parentis ſpiritum infandum expue!
Veneſice, peri! — Ber. Siſte, per Superos precor!
Dro. Tyranne! Ber. Siſte! Crimen haud patuit fatis.
Fors innocentem perdis! Gasto F. Ah ſinite Patrem [38]!
Ego ſum — Gasto P. Sceleſtus! Gasto F. Teſtis eſt — Gasto P. Audax fuga!
Gasto F. Volui — Gasto P. Parentis fata! Gasto F. Nec verbis licet
Scelus amovere! Genitor! Gasto P. Ultorem voca!

35) Vinciunt loquentem.
36) Abducendus viſo Gaſtone F. ſiſtit.
37) Stringit enſem et irruere in Filium paratus retinetur.
38) Recondit enſem.

Patrem exui! GASTO F. Fac, quod libet! Non ſum reus.
GASTO P. Non eſt reus, qui Fratris in jugulum ruit?
Non eſt reus, qui toxicum miſcet Patri?
Non eſt reus, qui clanculum attentat fugam?
Non eſt reus, qui ſe tamen reum negat?
GASTO F. Non eſt reus, quicunque ſe neſcit reum.
GASTO P. Brevi ſcies. Huic compedes demi volo 39).
Oneretur iſte! DRO. Non feram tantum nefas!
Eſt innocens, Natus tuus, Princeps meus!
Nocens probetur! Nempe neſcimus dolos,
Quos nectit Hugo? Nempe ſe ſiſtit reus,
Qui fugere potuit, judici? Nemo auferet
Mihi catenas! GASTO F. Cauſſa, quod reducem vides,
Es tu, Droete! Vincla jam meritus traham.
Reliqui Amicum! Sum nocens. GASTO P. Non te Pater,
Scelerate! tangit? Compedes cede illico 40)!
DRO. Non cedo vivus. Aut ego, aut nemo feret.
GASTO P. Juvenis proterve! OTH. Finge 41)! GASTO P. Promitto tibi.
Non vincietur Filius. Plura exigis?
DRO. Sic cedo. GASTO P. Miles! transfer in meritum ocius 42)!
GASTO F. En me. DRO. Quid hoc eſt? Perfide! Tyranne! Improbe!
Spectatis haec — GASTO P. Tace, impudens! Servo fidem.
Non vincietur Filius, dixi, meus.
Meus iſte non eſt amplius. Patrem exui. —
DRO. Vulpem induiſti — GASTO F. Amice, verborum abſtine!
Vixi hactenus laudatus, et morum integer.
Colui Parentes. Nulla dominandi ſitis
Me duxit unquam. Nunc tamen jubeor nocens,
Et execrandus eſſe. Mandatum grave!
Parere nequeo! Sidera in teſtes voco.

39) Ad Armatos.
40) Ad Droetum.
41) Clam.
42) Compedes demti injiciuntur Filio.

Non ſum nocens. Avunculi donum fuit.
Sceleſtus ille eſt, ſi mihi venenum dedit.
Me petiit Hugo primus. Arripui fugam;
Sed en reverſum ſponte! Genitori tamen
Si puniendus videor, autorem meae
Adoro vitae. Sanguinem acceptum libens
Reddo datori. GASTO P. Quid patior [43]! — GASTO F. Omnes ſilent.
Agnoſco, Genitor! Morte placandus mea es.
Huic me parabo. Liceat extremum pedes
Caros tenere [44]! Liceat aſpectu frui
Fors ultimo Parentis! O Genitor, vale!
Fruatur Hugo, nullus invideo, meis,
Meo fruatur funere! Paterno cadam
Juſſu beatus. Gloria ſuprema eſt mihi
Obtemperaſſe. Non tamen totus cadam!
Vivis, Droete! vivis addictus mihi,
Morerisque mecum. Amoris ingenium tui
Umbrae ſtupebunt! Genitor! huic ſaltem fave,
Si quid precari reſtat! Extremum vale!
GASTO P. Cuſtodiatur [45]! DRO. Ibo! Me carcer quoque
Accipiet. Aut, ſi non licet, foribus vigil
Perpetuus adero.

SCENA IV.

GASTO P. OTHELINUS. BERALDUS.

Quanta me miſerum obruit
Materia luctus! Scilicet Gaſto meus —
Quid dico! Patris proditor — vel ſic meus!
Diſſimulo fruſtra; ſum Pater! — Gaſto meus

43) Seorſim.
44) Advolvitur.
45) Abducitur ab Armatis.

Digitized by Google

Per me peribit [46]! — Liceat extremum pedes
Caros tenere. — Fulmen hae voces habent! —
Obtemperaſſe gloria ſuprema eſt mihi. —
Non ſic loquuntur impii! Morum decor,
Sine nube vultus, vox, color reum negant.
Oth. Haec praevidebam. Vox, color, morum decor,
Sine nube vultus commodat lucem ſuam
Perſaepe ſceleri. Facta ſpectentur magis!
Ber. Incerta ſunt. Oth. Incerta qui dici queunt —
Gasto. Definite, Amici! Creſcit his noſter dolor.
Favet Othelinus Judici, fidus Patri
Favet Beraldus. Totus in partes eo!
Ber. Abſolve! Oth. Plecte! Ber. Eſt innocens. Oth. Reus eſt. Gasto. Moram
Deliberanti cedite! Abrumpam meos
Tandem dolores, vel dabo initium novis [47]. —
Eſt innocens! Abſolvo! Oth. Sic ſancta aequitas
Defenſa, ſic ſtat juris aſſertus tenor?
Sic ſcelera, Princeps! vindicas? Sic te integro
Proſtituis orbi? Stringe ſerpentem ſinu!
Hugo exulet! Veneficus teneat Patrem
Securus operum! Gasto. Redeo jam, redeo mihi! —
Eſt impius! Condemno! Ber. Sic pietas jacet?
Sic innocens ſuccumbit, et cedit dolis
Oppreſſa virtus? — Gasto. Nil agis! Nimium liquent
Scelera. Otheline, carceri immitte illico,
Qui feriat ictu noxium tacito caput!
Ber. Prohibete, Superi! Gasto. Perge! — Siſte! — Animo Pater
Exceſſit omnis! Perge!

46) Haec omnia ſeorſim, meditabundus.
47) Aliquamdiu tacitus.

SCENA V.

HUGO. NUNTIUS CAROLI NAVARRAEI. PRIORES.

Salveto, Pater!
Gasto. Siſte, Otheline! Nate! quid portas novi?
Cur abſuiſti Patris a latere hactenus?
Hugo. Omnem per aulam fama Gaſtonem tulit
Fugiſſe. Sparſis cuncta militibus loca
Hucuſque luſtrans Nuntium hunc ſiſto tibi.
Nunt. Salve, inclite Comes! Frater Uxoris tuae
Rex Carolus ſalute te multa afficit.
Gasto. Valetne recte? Nunt. Cauſſa mittendi haec fuit:
Periculoſo premitur infirmus malo.
Exangue corpus frigore immiti ſtupet.
Exhauſta Medicorum eſt penus. Senſim in dies
Leto propinquat. Forte, dum facio viam,
Jam clauſit oculos. Te alloqui extremum cupit.
Gasto. Nondum ſatis! Nunt. Plus literae pandent tibi [48].
Hic in propinquo juſſa praeſtolor tua.
Gasto. Bene eſt. Amicam Caroli agnoſco manum [49].
Cur ipſe ſcripſit? — Anne Gaſtonis fidem
Accuſat etiam? — Maeror ex animo fugit,
Ubi folium iſtud intuor. Nulla eſt mora.
Percurro [50]. — Cur haec? — Oth. Hugo! quid ſcribit rei [51]?
Hugo. Ah metuo! Gasto. Superi! quis putet! — Numen pium! —
O me beatum! — Ignoſco! — Gaſto eſt innocens!
Oth. et Hugo. O fulmen [52]! Hugo. Eccur? Gasto. Verba morientis probant.
Fatetur ipſe Carolus Nato inſcio

48) Tradit epiſtolam.
49) Verſat epiſtolam et reſerat.
50) Exclamat inter legendum.
51) Seorſim.
52) Seorſim.

Animo dediſſe toxicum inimico mihi.
Lux auſpicata! Quas tibi grates feram,
Defenſor innocentiae, Rector poli!
Quae vota faciam! Nate! te, Nate! intuor
Culpa vacantem, innoxium, et patior adhuc
Vinclis gravari, carcere ſepultum ſuo!
Vola, Beralde! refer, ut expectet Pater
Avidus, amânsque! Veniat, o veniat meae
Quondam ſenectae columen! BER. O gratae vices 53)!
HUGO. Deſpero totus! GASTO. Ah quot hac una die
Affectuum ſubeo vices! Tandem locum
Laetitia tenet! Optata nunc vivam otia
Nato beatus — OTH. Clamor inſonuit procul!
GASTO. Quid eſt? benigni Coelites! HUGO. Crimen novum!
Solus Beraldus!

SCENA VI.

BERALDUS, PRIORES, ET MOX DROETUS.

Domine mi 54)! Gaſto innocens!
Sic occidiſti! Sic jaces! Atram diem!
GASTO. Quid fers? Amice! Quid gemis? Totus tremo!
Ediſſere agedum! BER. Nimius excludit dolor
Uſum loquelae! — Cecidit illuſtris Domus!
Cecidere vota Gentis, et ſpes inclitae!
Quis me tenebris condat! Horreſco diem!
DRO. Tyranne! Amicum redde, vel ſocium adjice
Nato Droetum! GASTO. Dicite, quid inſtet mali!
Ubi Natus? BER. Ipſo in carcere extinctus jacet!
DRO. Habes, quod optas, ſanguinis proprii Helluo!
Hugo! Otheline! habetis! GASTO. Extinctus jacet!

53) Currit ad carcerem.
54) Accurrendo.

Digitized by Google

Et Filius! et inſons! et in vinclis jacet!
Superi, Inferique! Nulla ſic pietas polo eſt
Praeſidia juſtis nulla ſic virtus parat?
Dro. Quid Aſtra culpas? Defuit pietas tibi!
Patrem exuiſti! Scelere conficto reum,
Dolis ſubactum peſſimis, nulla ferox
Dignatus aure, carceri et vinclis datum
Huc compuliſti! Non ſibi faevas manus
Ipſe intulit; dolore ſuccubuit gravi!
Pro me precatus: Genitor! huic ſaltem fave!
Tibi dixit olim. Gratia indigeo tua.
Me junge Nato! Peragat hoc pectus chalybs!
Gasto. Illudis etiam? Parce! Sum nimium miſer!
Natum peremi, fateor, infelix Pater!
Hugo. Mihi hoc trophaeum vindico [55]! Gasto. Sic, ſic jaces!
Amate Fili! Lacrimas ſaevus dolor,
Et verba prohibet! Oth. Cede fortunae, Comes!
Sic placuit Aſtris. Gasto. Sic dolis placuit tuis
Me reddere orbum, perdere juventae decus,
Spem ſubditorum! Latere diſcede a meo!
Ades, Beralde! tuque, amicitiae decus,
Ades, Droete! Cur tibi durus fui!
Cur fidere renui! Ah nimis ſero meum
Damno furorem! Credulas aures dedi!
Qua fronte vultum Matris orbatae feram,
Et exprobrantis Civis? Heu lacrimas cape,
Amice Fili! Flueret iſtarum loco,
Si quid placere poſſet, hic ſanguis reus!
Bis viduus una perdidi Natum die!
Nunquam recipiam! Quis dolor! Corpus riget. —
Vires recedunt [56]! Nate! Ber. Subſidium ocius!
Hugo. Genitor! quid hoc? Oth. Tenete! Dro. Deliquium ſubit!
Ber. Referamus in thalamum! Hugo. Cito! Gasto. Natum — ſequor!

55) Seorſim. 56) Incipit animo linqui.

ALEXANDER TRANS TANAIM.

ARGUMENTUM.

Mos erat Principibus Macedonum adultos liberos Regibus tradere ad munia haud multum ſervilibus miniſteriis abhorrentia. Ex his Hermolaus, Alexandro ultra Tanaim militante, cum aprum telo occupaſſet, quem Rex ferire deſtinaverat, juſſu ejus verberibus afficitur. Quam ignominiam aegre ferens cum pluribus ejusdem Cohortis conſilium init Regem occidendi. Sed Epimenes conjuratorum e numero, dum Eurylocho fratri, quid pararetur, aperit, ab eo perductus ad Regem totius proditionis exponit ſeriem. Alexander Eurylocho fratrem donat, reliquos facinoris participes necari jubet. *Haec fere verbis Q. Curtii L. VIII.*

PERSONAE.

ALEXANDER MACEDO.

HERMOLAUS	Conjurati.	EURYLOCHUS Epimenis frater.
SOSTRATUS		HEPHAESTION Regi familiaris.
EPIMENES		SOPOLIS Hermolai Parens.

ACTUS I.

SCENA I.

HERMOLAUS. SOSTRATUS. EPIMENES.

Tyrannus ergo rurſus aſpiciet diem?
Jam rara rutilant aſtra. Nox celerat fugam.
Albeſcit ortus. Ille productis tamen
Indulget epulis. Sost. Nempe ſic natum Jove,
Mundique dominum convenit vino obrutum,
Dapibus gravatum perdere ignavos dies,

Digitized by Google

Marcere luxu, feſſus ubi terram premit,
Fractusque miles! Sudor hunc perpes rigat;
At ille Syriis totus unguentis madet.
Hic pugnat hoſti, fluviis, hiemi, fami;
Ille inter epulas ludicra ſummos Duces
Configit haſta. Juro tenebroſas Domos,
Sacrum Silentum vulgus, hac Patruum petet
Dextra peremtus! Ep. Soſtratus conſtat ſibi,
Amice! ſcimus. Firmet hunc animum polus,
Adſitque dexter! Alia nunc mentem occupant.
Loco migrandum eſt. Altera, en, ſubiit Cohors.
Hic commorari quid juvat? Tempus, locus
Aperire poſſunt coepta. Quis dicet fidem?
Quis dabit amori? Nemo virtutem vocat,
Quidquid tenere neſcit, aut non vult modum.
Recens Philotae factum Alexandrum jubet
Etiam timere, quos amat. Sost. Sic ſpes feram
Perire noſtras? En, Dei votis favent.
Optata toties nox, et eximii decus
Habitura facti ſubiit. Arcano omine
Sors junxit una conſcios. Regnat ſopor.
Siluere caſtra. Rex mero titubat gravis.
His credam abeſſe Numen? Ah Patriae ſalus!
Hos in tuorum cordibus motus cies?
Haec cura nos verſat tui? Ah Socii, pudet!
Reſumite animos! Pereat! Hoc pereat loco!
Nunc pereat! Hac pereat manu! Exortus dies
Patriam reviſat liberam! Herm. Hoc fortis petunt
Manes Philotae. Sidera expediunt viam.
Remanete, Amici! Dum redit, ſeſe induet
In rete noſtrum. Hic, quas tuli, plagas chalybs,
Hic vindicabit [1]! Magne Parmenio! tibi
Hic mittet inferias!

1) Nudat enſem.

Digitized by Google

SCENA II.

ALEXANDER. HEPHAESTION. PRIORES.

Quis hic, Juvenes! ſonus?
Quid, Hermolae! ſtrictus hic gladius notat?
An facta caedes? Caſtra fors aliquo excita
Fervent tumultu? Loquere! Alexander jubet.
HERM. Obtempero 2). Dum ſtamus ad reditum tuum
Parata turba, noctis extremum polo
Abegit ortus Lucifer. Longas moras
Noſtrum peroſus aliquis abſceſſum parat.
Abiiſſet etiam. Reſtiti precibus, minis,
Et enſe denique. Crimen admiſſum putas?
Hoc me tui docuit amor. Poenam impera.
HEPH. Et excubare — EP. Hoc amplius noſtrum haud fuit.
Jam ceſſit aliis ſtatio. AL. Sic fidos decet
Regi clientes. Omen accipio libens.
Juvenes amati! veſter hic fervor placet.
Veſtra in Cohorte ſpes mei floret throni.
Ornanda factis fama vos Macedum manet.
Dum prima puris barba vix ſerpit genis,
Haec agitis. O quae gloria excipiet viros!
Extremus Oriens, Solis Eoi domus
Lauris onuſtos cernet, et ſpoliis graves.
Jam feſſa membra grata componat quies!
Sua quisque repetat! SOST. Liceat o Regem ſequi!
AL. Nunc ite! HERM. Liceat — AL. Ite! Sic Regi placet.

2) Enſem recondit.

SCENA III.

HERMOLAUS. SOSTRATUS. EPIMENES.

Ergo improbatis facinus, inimici Dei!
Noſtrisque rapitis manibus inviſum caput!
Somnum Tyrannus ſuadet, et corpus jubet
Componere toro, dum meis vigilat malis?
Nonne et Philotam ſomnus exitio dedit?
Somnum capeſſam, ſed prius oculos tibi
Nox atra claudet, Barbare! Sost. Et cinctus latus
Rediit, et improviſus. An nondum ſatis
Maturus Erebo? Sed quid incaſſum queror!
Infirma ſunt haec arma. Gemitibus ſolet
Paſci Tyrannus. Strenua utendum eſt manu,
Nec differendum. Noſtis humanam fidem,
Quam varia, quam caduca! Alexandri dolos,
Quos hactenus nil latuit ignotum diu;
Haec noſtis ipſi. Numquid hic ſegnes decet
Diem querendo ducere? An vinclis graves
Cupitis videri? Vultis, ut veſtrum in ſinum
Graſſetur avidus tortor? Herm. O caro mihi
Ligata foedere capita! haud patior moras!
Aut perdere, aut perire! Non ſemper Polus
Tegit impios. Inveniet hic mucro viam.
Eamus! Ep. Actutum ſequar.

SCENA IV.

EPIMENES.

Quanti rotant
Humana caſus! Nempe Alexander cadet!
Cadet Suorum ſcelere, et immeritus cadet! —

Aſt Hermolaus, Soſtratus meritum vocant,
Summumque quaerunt morte Alexandri decus.
Ego ipſe ſocius hauriam hoc gladio latus,
Illudque rigido demetam ferro caput,
Quod coluit orbis; morte turpatas genas
Pallere cernam, et ultimum gemitum audiam
Ingentis Animae! — Barbare! has grates refers?
Hoc te vocanti ſpem ſui reddis throni?
Ingrate! — Prius ah vertere, infelix chalybs!
Me perime prius! — At dexteram ſociis dedi,
Teſtes vocavi Coelites. — Tantis malis
Impar fatiſcit animus!

SCENA V.

EURYLOCHUS ET PRIOR.

Hic fratrem anxius
Invenio tandem! 3) Frater! Ep. 4) Ah quis hic dolor,
Quis hic tumultus pectus attonitum replet!
Abeo! Reſiſto! Sanguis in venis coit!
Sudore rurſus perpluor! Paveo Notum!
Umbram extimeſco! Eur. Quid rei eſt? 5) Trepidat, gemit,
Luctatur! Ep. Ah tanti fuit fieri impium!
Eur. Quid loquitur? 6) Ep. Infelix, peri! Ut pereas quidem,
Jam nunc neceſſe eſt! — Eur. Frater! Excubiae ſuum
Tulere finem; nec tamen repetis Tuos?
Quae cauſſa? Faciem inſolitus accendit rubor.
Loqui paras, nec loqueris. Effare, obſecro!
Cum fratre curas divide, et levius feres.

3) Eminus.
4) Illo non obſervato.
5) Subſiſtit et fratris motus explorat.
6) Accedit ſenſim.

Ep. Euryloche! Frater! — Eur. Perge! Ep. Nec metuis mihi
Adeſſe ſolus? Eur. Frater es. Ep. Monſtrum voca,
Dirumque Averni germen! Eur. Hoc nolit Polus!
Meliora loquere! Ep. Quid loquar? Dixi parum?
Vin', plura dicam? Forſan haud videor tibi
Adhuc ſat execrandus? An forſan nihil
Haec frons, hic oculus prodit? Intrare altius
Hanc parce Lernam! Dum licet, fuge innocens!
Relinque me poenis meis! Eur. Quantum petis!
Ego te relinquam, Frater! ignarus mali,
Quo premeris? Heu me! Nempe ſic fratrem hactenus
Potui latere? Te per hos gemitus precor,
Per dulce fratris nomen! Ep. Euryloche, abſtine!
Amas Epimenem? Eur. Hac luce, et his oculis magis!
Ep. Et amare perges? Eur. Dum frui dabitur die,
Me nemo cernet, Frater! immemorem tui.
Ep. Jam ſcito: Si, quae celo, tibi faciam palam,
Amare Epimenem non potes. Mihi et tibi
Profum ſilendo. Eur. Ah nulla jam mei eſt ſuper
Tibi gratia! Et vitam moror? Grave eſt loqui
Epimeni; at Eurylocho grave haud erit mori!
Valeto! Ep. Quorſum? Eur. Dum licet, fugio innocens,
Relinquo te poenis tuis. Ep. Cuncta eloquar!
Ah ſiſte, Frater! Eur. Fare! Ep. Quid? — Volui — ah pudet!
Eur. Valeto! Ep. Siſte! Scito —

SCENA VI.

HERMOLAUS ET PRIORES.

Cur nectis moras 7)?
Dataene fidei poenitet? Tempus vocat.
Eur. Quod tempus, et quo? Herm. Scire nil tua intereſt.

7) Ad Epimenem.

Me ſequere, Epimenes! Tota ſperatum brevi
Res obtinebit exitum. Eur. Accedam comes.
Herm. Non tu, ſed iſte petitur. Eur. At fratri licet
Adeſſe fratrem? Herm. Saepe, non ſemper licet.
Quid lentus haeres [8]? Eur. Mente quid agitas? Herm. Veni!
Eur. Perſiſte! Herm. Sequere! Eur. Mane! Ep. Quid hic facto eſt opus [9]? —
Fixum eſt! Valeto, Frater! — Ah rurſum piget! —
Iterum revolvor! — Grande monentum! O mihi —
Herm. Promiſſa comple! Eur. Exequere juratam fidem!
Ep. Fixum eſt! Uterque, quod petit, referet. Prior
Eſt Hermolaus. Frater! hic ſiſte interim,
Meque opperire! Regite vos paſſus, Dei!

SCENA VII.

EURYLOCHUS.

Abiere. Superi! frigidus mentem mihi
Pervadit horror. Frater exoſus ſibi eſt,
Incertus alter. — Tota ſperatum brevi
Res obtinebit exitum. — His verbis latet,
Quidquid timere cogor! — An Regis caput
Fors petitur? Iſtud dexter avertat Polus!
De fratre credat iſtud Eurylochus ſuo? —
Leve nequit eſſe, quidquid hoc agitur modo,
Jam forſan actum eſt! Cur moras lentus traho?
Ibo! Statutum eſt. Noſſe rem penitus juvat.
Ex ore fratris precibus eliciam omnia.

8) Ad Epimenem defixum.
9) Seorſim.

Digitized by Google

ACTUS II.

SCENA I.

HERMOLAUS.

Adhuc moratur Soſtratus. Quid ſi fidem
Temeraſſet? Hoc vel mente concipere eſt nefas!
Sed demus etiam. Quisquis alienam appetit,
Vitae timere propriae nunquam poteſt.
Me ſi Tyrannus mille laceratum modis
Projiciat eſcam beſtiis, fructum puto
Vel ſic ab illo dividi, et vecors jugum
Excutere vel ſic! Soſtratum at vos, o Dei!
Servate amico! Soſtrato incolumi lucrum
Putabo, quidquid accidat! Laetus neci —

SCENA II.

SOSTRATUS. HERMOLAUS.

Ah Hermolae! viximus! Summa imminet
Dies utrique! Herm. Quid refers? Sost. Celerem fugam
Capeſſe mecum! Herm. Non! Juvat forti virum
Offerre. Nunquid noſtra conſilia patent?
Quo proditore? Sost. Caſtra nunc ſuaſu tuo
Luſtrare coepi, ut, Rex ubi degat, tibi
Poſthaec referrem. Cerno luctantem ſuo
Fratri Epimenem. Herm. At nullas tibi voces datum eſt
Audire? Sost. Multas audio Eurylochi minas,
Referenda Regi cuncta. Herm. Sic teſtes timet
Deos Epimenes? Perſide! — Sost. Incaſſum teris
Tempus querelis. Dum fugae ſupereſt locus,
Fugiamus! Herm. Ut me ſubtraham vili fuga

Digitized by Google

Amice! poſcis? Tam parum notus tibi
Eſt Hermolaus? Mors mihi in votis fuit
Mea, vel Tyranni ſemper. Alterutram impetrem,
Sat impetravi. Soſtrate! id ſolum rogo!
Vis, ut propinquae laetus occurram neci,
Ut provocem tormenta, et immotus feram,
Ut me occidentem carnifex paveat meus,
Tuae ſaluti proſpice! Extremas preces
Admitte Socii! Vive et inſtantes fuga
Evade caſus! Illud excipiat caput
Sortis furorem! Soſtrate! amplexum ultimum —
Sost. Amice! ſic me diligis? Vitam egimus
Dulci ligati foedere, ingeniis pares,
Aetate, patria, moribus; nunc te ad necem
Properare cernam, nec tibi adjungar comes?
Non ſolus ibis! Cymba nos eadem vehet.
Moriemur, ut fortes decet. Vixit ſatis,
Quicunque liber moritur. Herm. Haud vixit ſatis,
Quem vult amicus longius vita frui.
Sost. Vitam absque amico rectius mortem voces.
Herm. Mortem cum amico duplicem mortem voces.
Sost. Quos vita junxit, morte diviſos cupis?
Herm. Quos vita junxit, dividi morte an putas?
Sost. Mitte haec, Amice! Sera jam nimium eſt fuga.
Sciet Tyrannus cuncta. Jam ferrum et rogos
Saevus parabit carnifex. Reſtat tamen
Via digna nobis, iſta dum reſtat manus [10].
Age, Hermolae! ſi tibi heroo calent
Ab igne venae, pectus hoc primum feri,
Deinde ſequere! Nomina, et noſtram fidem
Ventura celebrent ſecula! Herm. Ah, quantum imperas!
Ah — Nequeo! Sost. Nempe Soſtratum ad poenas rapi

10) Nempe Hermolai.

Digitized by Google

Patiere lentus? Sanguine aſperſum ſuo
Videre poteris? Viſcera haec ſpargi feres?
Meliora, Superi! Redeat, ah redeat tibi,
Qua ſtirpe natus, qua mihi addictus fide
Sit Hermolaus! Munus extremum peto.
Negabis? Ergo nec mori, ut lubet, licet!
Quis credat? Hermolae! dilectum tuum
Offers furori Regis! HERM. Ah vincis! Sat eſt!
Audere tuus hic animus attonitum jubet.
Praecede, Amice! Non ſequar tardus comes.
Ambos Charontis lembus accipiat ſimul!
Non hos in uſus, Mucro! geſtatus veni [11]!
Ignoſce, Patria! preſſa Alexandri jugo!
Fortuna coeptis defuit! — Rurſum tremo! —
SOST. Amata dextra! perage mandatum tuum [12]!
HERM. Ignoſce, Amice! et morere — SOST. [13] At Eurylochus gradum
Anhelus iſthuc urget! Irati Dei!
Nec vita vobis noſtra, nec fatum placet!
Quid agimus igitur? HERM. [14] Mente, conſilio eſt opus.
Occurrit aliquid. — Rex ubi eſt? SOST. Luſtrat viros,
Quos Patria nuper miſit. HERM. Et noſti locum?
SOST. Qua caſtra campus finit. HERM. Ignarus rei
Proinde adhucdum eſt. Spem cape! Ad votum omnia!
Hac me recondam parte. Venientem excipe.
Si proditi nos complices facti ſciat,
Hoc enſe fodiam tacitus a tergo latus;
Si neſciat, agili Regiam curſu petam,
Regis periclum brevibus expreſſum notis
Spargam in cubili: Caveat e Juvenum grege
Primum obvium! Tu cautus Eurylochum interim

11) Stringit enſem.
12) Offert pectus.
13) Reſiliens ab ictu.
14) Enſem recondens.

Memento detinere, dum factum putes,
Quod facere ſtatuo [15]. SOST. Partibus adero meis.

SCENA III.

SOSTRATUS.

Spes, dulce coeli pignus, e Superum choro
Relicta terris ſola! quam grata influis
Animo cadenti! Regna me moeſti Stygis
Tetigiſſe rebar. Nunc ad illapſum tuum
Imago mortis pallet, ut ſtellae ſolent
Redeunte Phoebo. Diva, conatus bea! —
Eurylochus ecce! Lingua, ad officium tuum!

SCENA IV.

EURYLOCHUS. SOSTRATUS.

Amice! Regem quaero. Si noſti locum,
Ubi moratur, ede! SOST. Tam celeri gradu?
Turbatus? EUR. Ah cunctaris? SOST. An caſtra impetit
Inimica nobis Natio? An reditum parat
Belli peroſus miles? EUR. Ah iſtud parum eſt!
Majora metue! SOST. Numne primorum Ducum
Expirat aliquis? EUR. Rex ubi eſt? SOST. Statim ſcies.
Eloquere, quid Regi afferas! EUR. Surgunt comae,
Horreſcit animus, dum loquor! Regis ſalus
Periclitatur! Regis appetitur caput!
Hoc ſit ſatis. SOST. Quis credat? EUR. Hanc curam quidem
Mihi cede. Certum eſt. Nemo, dum culpam reus
Fatetur ipſe, dubitat. SOST. At ſocios trahet?

15) Recedit aliquantum, auſcultaturus.

Majora ſcelera plurium poſcunt manus.
Faſſusne et illos? Eur. Non fuit tantum morae.
Hos reſciam omnes [16]. Nunc mihi Regem indica!
Sost. Sed poſt Philotae crimen, et poenas datas
Audebit illud aliquis? Exiguam fidem
Tibi Rex habebit. Eur. Nil time. Inveniam fidem.
Ubi Rex? Sost. Cohortes Patria ſubmiſit novas,
Primo valentes robore. Armorum nitor
Phoebi retundit lumen. Haſtarum ſeges —
Eur. Quid iſta memoras? Advenam Eurylochum putas?
Ah, quo receſſit debita in Regem fides!
Rex in periclo eſt. Futili civis diem
Sermone ducit! Alius hoc — Sost. Perfer moram!
Has Rex cohortes luſtrat. Eur. At neſcis locum?
Sost. Quin teneo. Campus caſtra porrecta excipit,
Quam rara ſpargit arbor. Extremum aſſequi
Oculo negatur. — Eur. Rurſus ah nugas canis?
Conſilia potius! Sost. Semita ad campum patet.
Inquire Regem. Forte conſilii impii
Sectatur illum particeps, caſtris procul
Tentare crimen certus. Id monitum volo.
Afferre primus nuntium Regi ſtude,
Ut maneat haec te gloria. Eur. O ſuaſum bene!
Grates rependant Numina! Ad campum avolo!

SCENA V.

SOSTRATUS.

I, quaere Regem! Caſtra ſcrutare omnia!
Campum pererra! Certius Regem hic chalybs
Inveniet! O ſuaſum bene! Intenta interim
Perfecit Hermolaus, et Regi metum

16) Hermolaus hactenus eminus auſcultans diſparet.

Falſi pericli incuſſit. Eventum rei
Praeſtolor avidus. Quisquis hoc telum excipit,
Dum non ſit Hermolaus, excepit bene.
Juvat hunc requirere; noſſe ſucceſſum juvat!

A C T U S III.

S C E N A I.

SOPOLIS. ALEXANDER.

Aliquis Tuorum ut aſſequi hoc crimen queat
Vel cogitando! Parce, ſi dictis fidem
Adhibere renuit animus! Al. Hoc folium cape [17],
Percurre! Sop. [18] Vitae tendit inſidias tuae,
Quicunque Juvenum primus adſuerit tibi.
Rex! qui monet, fidelis eſt. Crede et cave [19]!
Al. Stupeſcis? Ecquid meritus hoc videor tibi?
Vita petitur Alexandri! Et a caris ſuis,
Quos ſemper imo corde deſcriptos tulit,
Prodeſſe quibus intendit, ut natis pater!
Vita petitur Alexandri! Et hoc petitur modo!
Has Macedo grates ſolvit! Aeterni Dei!
Ferocis ideo tela vitavi Scythae,
Domeſticorum ut tela hic imbueret cruor?
Hac lege fregi victor Arſacias opes,
Ut poſt triumphos Sortis evadam invidae
Triumphus ipſe? O fluxa Regnantum bona!
Caduca ſceptri pretia! Sop. Rex! caſſo abſtine
Tempus dolore terere! Qui tardat, ſuum

17) Tradit, quod manu tenebat, folium.
18) Legens.
19) Reddit folium.

Digitized by Google

Juvat periclum. Flamma nutritur mora.
Al. Quid ergo facere me cupis? Sop. Quod te decet.
Al. Quid me decet? Sop. Cavere. Al. Cui caveam? Sop. Tibi.
Accerſe vigiles. Primus e Juvenum agmine
Hic adfuturus crura compedibus gravis
Cuſtodiendus abeat, et poenis nefas
Juſſus fateri complices prodat ſimul.
Al. Legitima ſuades, Sopoli! Aſt folium leve
Tanta eſſe dignum credis et cenſes fide?
Me melius alter regiam noſcat domum?
Folio quid iſta mandat, et nomen tacet?
Cur Regis alloquium fugit? — Ratio mihi
Sucurrat utinam, qua negem folio fidem!
Sop. Principia rerum cuncta in obſcuro latent;
Lucem his, neceſſe eſt, noſter affundat labor.
Ut plura diſcas, pauca te folium docet.
Favor hic Deorum eſt. Sequere monſtratam viam!
Al. Tua ſenſa, Amice! comprobo, invitus licet!
Sop. Accede, Miles! regium aſſiſte ad latus [20],
Exequere juſſa!

SCENA II.

EURYLOCHUS ET PRIORES.

Vota complevi mea [21]!
En Rex! — Tuis quem pedibus affuſum vides —
Sop. Adeſto, Miles! Aufer huic arma ocyus!
Conſtringe vinclis [22]! Eur. Et quod admiſi nefas?
Rex, iſta pateris? Aſtra, ſic vobis placet
Premi innocentem! Labis hic animus vacat!

20) Prodeunt evocati Armati.
21) Feſtinus.
22) Vincitur Eurylochus.

Al. Euryloche, lege [23]! — Quid pallor inſolitus tibi
Vultum pererrat? Indices ſceleris notas
Deprendit omnis oculus. Et pectus tuum
Tanti fuiſſe criminis credam capax [24]?
Euryloche! ſic benefacta compenſas mea?
Meo hanc favori, ingrate! retribuis vicem,
Quem ſtrinxi amore patris, et fovi ſinu?
Non ſolus igitur hoſtis hoc pectus cupit
Peragere ferro? Amicus hoc etiam cupit?
Sed quid neceſſe eſt, cupere Alexandri necem,
Cupere nefando crimine? An vitam ſemel
Veſtrae ſaluti praetuli, et Patriae bono?
Quis me labori cedere, aut frangi malis
Conſpexit unquam? Vos ego teſtes voco [25],
Commilitones! Inter Oceani minas,
Inter meorum ſunera, in fame, in ſiti,
Mille in periclis ſemper impavidus ſteti.
Iſto cruore maduit et ſparſa eſt humus.
Vita una ſupereſt. Hanc quoque dediſſem lubens,
Daboque ſemper. Munus hic veſtrum petit.
Mea vita veſtra eſt. Pertinet ad omnes nefas.
Me largitatis laude, vos dono exuit.
Eur. Ah liceat omnes Coelites — Al. Audi, et tace!
Cujus, peremto me, tibi affulſit boni
Fallax imago? Forte te allexit thronus?
Decepte! cernis, quos thronus fructus ferat!
Cui me deinceps — Eur. Sidera! ah liceat mihi —
Al. Audi, et tace! Quae furia ſanguineas faces
Admovit animo? Quis tibi infandi extitit
Facinoris autor? Qui tibi atroces manus
Dedere ſocii? Profer! Eloquere! Eur. Audiam,

23) Folium ſupra dictum porrigit.
24) Eripit folium ab Eurylocho lectum.
25) Ad Armatos.

Tacebo. Al. Noſti Regis ingenium tui.
Quam facile veniae, dum reum facti piget,
Dum conſcios fatetur! En Regis fidem!
Socios recenſe culpae, et evades necem.
Illos manent tormenta, te vita. Eur. Audiam,
Tacebo. Al. Numquid tendere inſidias parum eſt?
Illudis etiam, pertinax? Statue! Eur. Audiam,
Tacebo. Al. Parricida! ſic ultro appetis
Promerita fata? Dabimus! Inſanam exprimet
Tibi tortor animam!

SCENA III.

EPIMENES ET PRIORES.

Al. Tempori, Epimenes! venis.
Fratrem intuere! Ep. [26] Quid loquar! Al. Noſtrum in caput
Meditatus atrum facinus explodit minas,
Conſilia ſpernit, vult, et exoptat necem,
Et habebit etiam! Ep. [27] Ferte conſilium, Dei!
Aude aliquid, anime! Eur. Frater! aſpectu meo
Non erubeſcis? Ep. Perfide! etiamnum rogas,
An erubeſcam? Generis opprobrium tui!
Pudor parentum! Eur. Morte me dignum putas?
Ep. Quin mille dignum mortibus! Eur. Ut abeam, jubes,
Jamjam necandus? Ep. Perge, quo crimen vocat,
Raptantque Dirae! Eur. Frater! Ep. Hoc verbo abſtine!
Meus eſſe frater proditor Regis nequit.
Fratrem abdicaſti, dum tibi arriſit nefas.
Hoc vincla rupit ſanguinis., Jacta alea eſt.
Proſequere porro! Vita cui placuit nocens,
Huic mors, neceſſe eſt, placeat infamis quoque.

26) Seorſim.
27) Seorſim.

Eur. Miſerande Rex! Ep. Impoſtor! et rurſum obſtrepis?
Rex, tolle monſtrum, merita ſupplicia exige!
Non te retardent geſta Majorum inclita,
Noſtraeque ſtirpis ſplendor! Hac potius nece
Labem illi inuſtam vindica! Facilis malo
Non te juventa moveat, et blandae preces!
Quicunque culpae eſt ſatis, hic et poenae eſt ſatis.
Eur. Ignoſce, Epimenes! Plura, quam poſſim, petis.
Succumbo tandem —

SCENA IV.

HEPHAESTION, HERMOLAUS CUM CUSTODIBUS, ET PRIORES.

Vive, Rex! Curam tui
Geſſere rurſum Sidera! Ep. [28] Ah perii modo!
Al. Novusne noſtram proditor vitam appetit?
Quae monſtra, Superi! Heph. Solus in nemore adſito
Obambulabam. Strepitus a tergo inſonat.
Reſpicio. Torvus adſtat infeſto mihi
Ferro Hermolaus. Ora vix novit mea,
Quae Regis eſſe credidit, ſaevum ingemens
Arma abjicit; tum militum accurſu ocyus
Capitur, ligatur. Al. Odia quo merui tua?
Dic, Hermolae! Herm. Quaerere hoc etiam potes?
Dicam, Tyranne! Sop. Comprime ſacrilegos ſonos,
Scelerata Soboles! Pereat infauſtus dies,
Qui me parentem fecit! Haec monuit Pater?
Haec facere docuit? Impie! hac dextra ad Stygem [29] —
Al. Permitte, Sopoli! Loquere, Veterator! Herm. Loquar!
Mancipia credis nempe populares tuos?
Pars quanta Macedum reſtat? Ubi ſummi Duces,

28) Seorſim.
29) Vult eum invadere.

Clytus, Philotas, Attalus? Munere tuo
Jacent peremti! Perſa victores ſuos
Videt in cataſta. Caede patrata cadit
Caedis miniſter. — Sop. Perfide! et nondum taces?
Al. Perſequere! Herm. Nos haec praemia, ut dixi, manent.
Tu ſpolia mundi barbaro faſtu trahis,
Mores relinquis Patriae, et Perſam induis.
Perſam ergo petii transfugam; hoc leges jubent.
Sordet Philippus genitor. Inflexo genu
Coli volebas Numen. Illuſtri ſatum
Me ſtirpe plagis tale nil meritum afficis;
Quid enim piacli eſt, Regis ante oculos feram
Straviſſe telo? Tu tamen dicis nefas.
Huc te libido duxit. Et mirum eſt tibi,
Hoc diſplicere Liberis? Vitam eripe,
Occide! Sic, quod conſequi haud potui ex tua,
Ex morte conſequar mea! Armati. Indigne! ocyus —
Al. Cohibete vocem! Quae mihi objiciat probra,
Quam falſa jactet, noſtis, o teſtes meae
Comitesque vitae! Saevus, immitis vocor.
Clytus, Philotas, Attalus culpa vacant.
Quid dicere poterat aliud? Servit ſibi,
Dum parricidas laudat, et ſolus probat,
Quod jura damnant cuncta, quod damnat Polus,
Quod execratur, quisquis humanos fovet
In corde ſenſus. Sed quid hoc ſolum queror!
Avarus etiam videor et tenax tibi?
Indigne! Veſter, Milites! retrahit pudor,
Ne plura memorem. Spolia, ſervorum greges,
Et ſarcinarum quidquid eſt, auro grave
Loquitur abunde. At Perſicos cultus amo?
Mores relinquo Patriae? An ſolus ſapit
In orbe Macedo? Nulla, ſi mereor fidem,
Sine laude gens eſt. Noſtra peregrinis bonis
Miſceri oportet. Stabile qui regnum parat,

Digitized by Google

Bonitate populos temperet. Patrem Jovem
Demum objicis? Subeſſe tu forſan mihi
Oracla Divum credis? Utinam Indis quoque
Soboles Tonantis habear!

SCENA V.

SOSTRATUS ET PRIORES.

O durae vices [30]!
Ah Hermolae! Rex! quid admiſit mali?
Al. Mihi fata ſtruxit, probra ſcelerato inſuper
Ingeſſit ore. Pertuli, ut poenam ſibi
Cumulet ſceleſtus. Nunc luet! Sost. Rex ah — Herm. Tace!
Quod non cruore noxio inficias ſolum,
Fatale quod adhuc pondus huic terrae incubes,
Non me pavoris argue, aut timidum voca;
Subeſſe potius crede conſilium Poli!
Pretioſa nimis haec dextera eſt; vili cades!
Moriar, Tyranne! neminem innocuum tamen
Traham in ruinam. Sceleris Eurylochus vacat.
Exime catenis! Ipſe conſiliis timens
Haec ſcripta finxi. Relege, et agnoſces manum!
Al. [31] Propitia coeli Numina! Eurylocho ocyus,
Miles! catenas detrahe! — Euryloche! tuo
Ignoſce Regi! Ep. Quis metus [32]! Al. Totus patet
Tibi Rex, Amice! Quidquid expoſcas, dabo!
Expoſce! Dubitas? Teſtor immenſum Jovem,
Nihil negabo! Quid petis? Eur. Fratrem peto.
Largire fratrem! Al. Quis tibi fratrem abſtulit?
Eur. Proditio! Al. Superi! O foeta monſtrorum dies

30) Vinclum videns.
31) Conſiderans folium.
32) Seorſim.

Digitized by Google

Heph. O caſus! Herm. [33] Ah, Amice! Al. Cur crimen prius,
Euryloche! tegere placuit? Eur. Ah fratrem neci
Exponere nequiit animus! Vitam lubens
Dediſſem, ut ille vivat. Audacem modo
Promiſſa faciunt. Pedibus adſternor tuis,
Mecumque frater [34]. Te per agnatos Deos,
Te per triumphos, per tuam famam precor,
Quae major orbe eſt, Rex! ad ingenium redi!
Reſtitue fratrem! Si tamen aliqua placet
Crimen piare caede, me promtum vides!
Dum vivat Epimenes, celer morti obviam —
Al. Euryloche, ſatis eſt! Tanta quod nequeat fides
Domuiſſe pectus! Accipe Epimenem tuum!
Ignoſco. Vivat! Vivat obſtrictus tibi,
Mihique fidus! Ep. [35] Tu mihi ignoſcis reo?
Tu vivere jubes? Et feram, ut capiti tuo
Immineat aliquis? Herm. [36] Soſtrate ah! Ep. Idem nefas
Tibi machinatur Soſtratus. Sost. Dire! Ep. Et negas?
Sost. Verum eſt! Honori pars ego manipuli fui,
Levitate quem tu, timide! commaculas tua.
Fruere Tyranni gratia, imbellis, miſer!
Nos occidemus! Al. Aſtra! ſi tantis placet
Regnum periclis cingere, in veſtras manus
Reſigno donum. Sola populorum fides
Beat imperantes. Hanc mihi deinceps date,
Vel habete Regnum! Miles! huic vincla injice [37]!
Hephaeſtionem cura ſupplicii manet.
Abripite utrumque! Grando ſaxorum obruat
Inviſa capita! Jura ſic patriae jubent.

33) Clam ad Soſtratum.
34) Uterque procumbit.
35) Surgens cum fratre.
36) Seorſim.
37) Soſtrato.

Herm. Imus, ſuperbe! Si quid eſt ſanctum Polo,
Nos vindicabit!

SCENA VI.

EPIMENES. EURYLOCHUS. ALEXANDER. SOPOLIS.

Frater! ah veniam annue!
O ſi daretur intimos cordis ſinus
Reſerare! Forſan diceres: Poenae eſt ſatis.
Vix ah revello lumen affixum ſolo!
Ah quo reductus — Eur. Frater, injuſtus mihi es!
Majorem ineſſe crede germano fidem!
Bonitate Regis vivis; hunc gratus cole!
Me dilige! Iſta poſtulo in veniae vicem.
Al. Excelſa virtus, quas mihi ſubdis faces!
Sequor admoventem calcar. Hanc lucem undique
Volo ſoſpitalem. Tu, quid illaetum gemis?
Eloquere, Sopoli! Sop. Gratiam vitae peto 38)!
Me lex ſevera gentis exterret meae,
Quae cum ſceleſta prole vult patrem mori.
Al. Amice, neſcis? Ferre qui potuit, poteſt
Auferre legem. Regis hoc ſitum in manu eſt.
Legem deinceps abrogo. Poſthac manet
Sua quemque merces. Vive, et aeterna fide
Extingue crimen filii! Sop. O fauſtam diem 39)!
O vere Divum Sanguis! Et poterit tuos
Quidquam triumphos ſiſtere? I, ſupera Herculem,
Metasque Patris Liberi, et mundo impera!
Age, Turba 40)! feſtos appara Regi choros,
Ordire plauſus! Al. Sic Deis curae ſumus.

38) Genuflexus.
39) Surgens.
40) Ad Armatos.

Digitized by Google

Agnoſco veſtram, Numina! et veneror opem.
Utinam liceret reddere! Eurylochus vices
Veſtras ſubibit. Eſt minus meritis tamen,
Quidcunque dedero. Qui dedit vitam alteri,
Condignum ab uno munus accipiet Polo.

Digitized by Google

ISAAC VICTIMA.

ARGUMENTUM.

Abrahami virtutem nunquam certius exploravit Deus, quam dum ei praeciperet, ut unicum filium Iſacum victimam offerret. Obtemperare promtiſſimus et filium non amiſit, et ſingularibus promiſſis cumulatus eſt. *Haec Geneſ. C. XXII. Drama ad Italicum cel. Petri Metaſtaſii exactum eſt.*

PERSONAE.

ABRAHAMUS. SARA.
ISACUS. GAMARIS.
ANGELUS.

SCENA I.

ABRAHAMUS. ISACUS.

Nate, ſatis, ſatis eſt! Torquet nox humida curſus
Jam medios, et adhuc ſermonis blanda voluptas
Nos tenet. Abripuit te, Nate! cupido ſciendi,
Meque eadem juſſit ſolito magis eſſe diſertum.
Nunc ſatis eſt. Vocat alma quies. Defeſſa ſoporem
Membra petunt. Erit, ut noſtrorum extrema laborum,
Nate! tibi referam. Is. Genitor! dum forte recenſes
Noſtrae fata Domus, tantosque ex ordine caſus,
Uſque adeo peregrina mihi ſolatia mulcent
Pectus, et attonitum percellunt gaudia ſenſum,
Ut neque ſit ſomni votum, neque cura quietis,
Eripiarque mihi penitus. Tibi junctus adire
Cuncta mihi videor. Coeli dum juſſa paternâ
Te ducunt regione procul, Chaldaea relinquo
Tecum rura libens, tecum novus advena Carras,

Atque Palaeſtinae valles colo. Dum tibi ſuadet
Arcta fames Geraram, et foecundi litora Nili
Viſere, ſum comes, et materna pericla paveſco,
Tanquam qui videam praeſens. Dum fortibus armis
Conjunctos ſuperas Reges, Lothumque catenis
Eripis herboſi victor Jordanis ad undas,
Ipſe levi parma videor mihi tectus adeſſe,
Hoſtiles urgere globos, et ſternere ferro.
Denique dum ſummi repetis promiſſa Jehovae,
Dumque Poli foedus noſtra cum gente recenſes,
Uſque adeo pectus ſenſu mihi Numinis imples,
Ut veluti feriant aures Effata tremenda,
Atque mihi corpus, quantum eſt, ſacer increpet horror.
O Genitor! vaſtum eſt Nato tua vita theatrum!
Cerno ſatis. Tua geſta meis ſunt regula geſtis.
Quae non hinc doceor! Tua ſi diſcrimina ſpecto,
Si varios caſus, ſi ſpecto pericla, labores,
Me ſubit arcanas mirari Numinis artes,
Quod manet immotum; movet attamen omnia, quamvis.
Cur moveat, quanam moveat ratione, creatas
Effugiat mentes. Si penſem dona deinceps,
Atque Poli ſemper promtum ad tua vota favorem,
Quam ſis dilectus Superis, Pater optime! diſco,
Et millena meis praecepta hinc uſibus apto.
Abr. Nate, tuum novi ingenium! Tibi multa loquendo
Aurito loquor, ingratam non excolo glebam.
Sed reliquum differre juvat. Monet hora quietis.
Is. Ah ſaltem adde, Pater! poſtquam diſceſſerat Hoſpes,
Cujus, ut audivi, Mater praeſagia riſit,
Adde, quid acciderit! Solum hoc, Abrahame! recenſe,
Jamque abeo. Abr. Eventus, quae dixerat ille, probavit.
Sara ſibi partu compleri viſcera ſenſit,
Atque inſperata fecit me prole beatum.
Is. Haec ego ſum proles, nunquid? Abr. Nam, Nate! quis alter?
Te propter natura ſuum violare tenorem

Suſtinuit. Senio ſterilis te protulit arbor.
Prodigio tua vita ſtetit. Is. Coeleſtia tandem
Quem promiſſa petunt? Abr. Te, Nate! tuosque Nepotes,
In quibus haec olim Mundus completa videbit.
Nam regio, qua nunc peregrini paupere cultu
Degimus, imperiis quondam ſubjecta Tuorum
Hinc ſtatuet Nili ripas pro finibus, illinc
Euphratis famulas late moderabitur undas.
Is. Ergo genus noſtrum — Abr. Stellas ſuperabit Olympi,
Litoribus ſparſas numero ſuperabit arenas,
Dicetur Genus electum, dilecta Jehovae
Natio, et illuſtres longo dabit ordine Reges.
Nec ſatis! Innumerae gentes e ſemine noſtro
Fauſta ferent. Is. O ſors! o gloria! Abr. Nate, caveto!
Saepius incautas excaecat gloria mentes.
Profluere illa quidem puro de fonte putatur;
Inſpicias propius, latet immedicabile virus,
Ambitio, quae dona poli, ſuperosque favores
Vertit in exitium. Is. Genitor! depone timorem!
Hunc animum novi. Procul hinc, procul exulat omnis
Ambitio! Novi — Sed forſan credulus erro!
Quis ſibi ſat notus! Pater! haud ſine Numine Natum
Iſta mones! Gelido trepidant mihi membra timore!
Abr. 1) Exoptate timor! Verae virtutis origo!
Is. Me miſerum! Tu triſte ſiles? Miſeratio Nati
Te ſubeat, Genitor! Si recto calle relicto
Devia conſector, tu me, tu, quaeſo, volentem
Redde viae! Pedibus ſacris ecce oſcula ſupplex
Imprimo. Abr. Surge, Patrisque celer te amplexibus infer,
Care Puer! Pavidae redeat malacia menti!
Admonuit, non accuſat Pater. O mihi quales
Laetitiae motus tenera hac formidine cauſſas!
Sint oculi teſtes, liquidi ſolaminis index

1) Seorſim.

Quos pia gutta rigat. Talem mihi Sidera ſemper
Te ſervent, Iſace! Vale! Is. Si praevidet ille,
Qui dedit hac aura veſci, me criminis olim
Sordibus intacti florem temerare pudoris,
Ah prius innocua claudam mea lumina morte!
Care Parens! hoc tu votis a Numine poſce!
Quis, quis enim vivat ſupremi Numinis hoſtis!
Mors haec vita foret!

SCENA II.

ABRAHAMUS. DEIN ANGELI VOX.

Quas me tibi reddere grates,
Mens aeterna! decet tanto pro munere! Qua te
Voce ſat extollam, Numen! Me prole beaſſe,
Dum prolis ſpes nulla ſuper, prohibente ſenecta,
Immenſae bonitatis erat. Sed prole beaſſe,
Quae ſit Patris amor, ſpes, fulcrum, cura, levamen,
Scilicet hoc donum eſt — Sed quis mihi lumina fulgor
Perſtringit? Remeatne dies? Ah iſta diei
Lux non eſt! Noſco radios, veſtigia noſco!
Nil mortale ſonant! Ang. Abrahame! Abrahame! Abr. Paratus
Adſto. Proloquere! Ang. Auſculta mandata Jehovae!
Natum unicum, quem diligis, comitem accipe
Ad alta tecum Moriae, et excelſo in jugo,
Mea quod docebunt ſigna, ſacratam mihi
Manu paterna victimam Iſacum immola!

SCENA III.

ABRAHAMUS.

Quae mandas, aeterne Deus! Proh ardua juſſa!
Terrifici nutus! Soboles Patris occidat enſe

Digitized by Google

Victima! Dumque jubes, adjungis ſedulus ultro
Id, quod ineſt Nato, pretii, quod Patris amorem
Extimulet, mittatque pios in pectora ſenſus! —
Verum tu mandas! Satis eſt. Submittere colla,
Imperiumque probare decet. Cadet hoſtia Natus! —
Sed quid tu, mea ſpes! tam cara prole peremta?
An non promiſſis pugnant mandata? — Quid haeres?
Mentirine Deum credas? Fas ſpernere coeli
Juſſa putes? Abſit! Scelus eſt, hoc volvere mente!
Non ego contendam audaci diſquirere niſu
Arcanum tam grande Poli. Quin pareo promtus,
Pareo, magne Deus! Si triſti hoc cardine rerum
Tu tamen aſſiſtas! Mandatum implere neceſſe eſt,
Impleboque volens etiam! Trepidabit in ictu
Cor tamen, et ferrum viſo mea dextra cruore
Abjiciet, niſi me praeſenti numine firmes.
Scis me etenim, Deus! eſſe hominem, ſcis eſſe parentem!
Paſtores [2]! Gamari!

SCENA IV.

GAMARIS. ABRAHAMUS.

Praeſto ſum. Praecipe! Abr. Natum —
Iſacum — dicamne? — jube conſurgere ſtrato,
Jumentum inſterni, geminosque aſſiſtere ſervos.
Gam. Cuncta effecta dabo, ut mandas, quantocyus. Abr. Audi!
Gam. Quid ſupereſt? Abr. Noli Sarae turbare quietem!
Gam. Cautus agam.

2) Evocans.

SCENA V.

ABRAHAMUS. MOX SARA.

Fixum eſt, Sarae mala noſtra tacere.
Maternis parcam lacrimis. Erit aptior hora —
Heu me! Sara ſubit! Quid dicam! Sa. Optate Marite!
Tam te matutinus agis? Quae cura quietem
Impedit? Abr. Aſtrorum Domino mihi victima pura
Caedenda eſt hodie, proprioque legenda labore
Sacrum ſuſceptura focum ſarmenta. Morari
Deſine, Sara! Vale! Sa. Nec me tibi jungere poſſum?
Abr. Non licet. Sa. Aſt licuit mihi per tot luſtra, tot inter
Eventus varios. Si tecum laeta, ſiniſtra
Exhauſi, cur me meritorum, Abrahame! tuorum
Non vis participem? Abr. 3) Juſta eſt oratio Sarae.
Audiat arcanum! Tanto fraudare volentem
Non poſſum merito. Tu dirige pectora Sarae,
Magne Deus! linguamque meam! — Dulciſſima Conjunx!
Nunquid mente repoſta manent tot, tantaque dona,
Prodiga quae Coeli pietas tibi contulit? Sa. Ecquis
Immemor eſſe queat? Abr. Gratos num pectore ſenſus
Inde foves? Sa. Videt hoc pectus, qui cuncta tuetur.
Abr. Quod ſi animi grati pignus ſibi poſceret ille?
Sa. Vitam etiam petat hanc! Vitam hanc dabo laeta petenti!
Abr. Si peteret Natum? Sa. Iſacum? Abr. Iſacum. Sa. Addita Nato
Funus ero. Tamen hunc, qui contulit, ille reſumat!
Abr. Sara, bene eſt! Natum poſcit Deus. Sa. Hei mihi! Natum
Poſcit? Abr. Et occidi patrio ſibi poſcit ab enſe.
Sa. Ah, quid ais? Conjunx! Ubi ſum? Cupit ergo peremtam
Tam ſibi dilectam Sobolem? Sua tollere dona
Poſcit in Iſaco, cui ſpes laetiſſima longae
Poſteritatis erat? Quanam hoc ratione, modoque?

3) Seorſim.

Digitized by Google

Abr. Id placuit celare Deo. Maudata Jehovae
Nil reliquum faciunt praeter parere tacendo.
Sa. Non igitur longo poſt tempóre Natus — Abr. Ad aram
Occidet. Sa. Ipſe Pater — Abr. Pater ipſe cruore madebit
Dilectae Sobolis. Concurre, o Sara! voleudo,
Si meriti comes eſſe cupis! Non plura requiro.
Importuna foret Matris praeſentia. Pergo.
Tu Natum vitare ſtude. Me pandere Nato
Convenit imperium Coeli. — Quid, Sara! Repente
Solveris in lacrimas? Noli ah, Cariſſima! noli
Cedere maerori! Novi, quam ſubdita ſemper
Divinis fueris monitis. Confide poteuti
Numinis auxilio, quod ſolum commoda noſtra
Perſpicit, et rebus proſtratis ſaepe medelam
Praeſtat! Opes, proles, vitam ſua munera noſti.
Non haec, ſi reddis, tibi munera crede perire!
Quin potius tergis lacrimas, mentemque ſerenas!
Haec, mihi crede, Deo prae ſanguine cura placebit.

SCENA VI.

SARA. MOX ISACUS. DEIN GAMARIS.

Haec igitur reſtant miſerae ſolatia Matri:
Perdere Progeniem dulcem, nec fundere fletus,
Nec nimium in gemitus juſtos laxare dolorem!
Lex etenim ſuprema vetat. Deus ille repoſcit,
Qui dedit Iſacum. — Is. Mater ſuaviſſima! Sara!
Sa. 4) O facies! O verba imas penetrantia fibras!
Quis me nunc — Is. Abrahamus ubi eſt? Id pandere Nato
Ne grave ſit, Genitrix! Quo forſitan ille receſſit?
Si neſcis, alia mox illum parte requiram.
Sa. Auſculta, Fili! Coelum, mihi ſuggere verba 5)!

4) 5) Seorſim.

Is. An tibi, Mater! adhuc mens eſt ignota Parentis?
Magno terrarum Domino coelique, Jehovae,
Cujus noſtra Domus ſemper ſibi numine conſtat,
Sacra parat Genitor. Succedit tempus, opinor,
Quo ſua colla dabit ſacrato victima cultro.
Me quoque praeſentem Genitor ſibi juſſit adeſſe.
Sa. O Fili! ſatis heu, ſatis eſt mens nota Parentis! —
Gam. Rumpe moras, Iſace! Pater procedere ſenſim
Incipit, et jamjam Moriae montana tueri.
Is. Ecce adſum. Interea, Genitrix mihi cara, valeto!
Sa. Nate, reſiſte! Heu me! Sic me, ſic, Nate! relinquis?
Is. Quae tibi materies luctus? Quae cauſſa gemendi?
Lumina quid turgent lacrimis? Sa. Sic prole carere,
Sic cogor! Is. Facile eſt, tantiſper prole carere.
Non me nunc primum patriis diſcedere tectis,
Scis, Mater! Quoties comitem me in rura propinqua
Aſſumſit Genitor, quoties ad paſcua nota
Iſthoc cum Gamari prono jam ſole reviſi.
Sa. Nunc tamen — ah Superi! — Nimio ſuccumbo dolori!
Is. En quid agam? Gamari! Pater hinc me cogit abire.
Hic retinet Genitrix. Dubio mens anxia niſu
Fluctuat, et neſcit, cujus mandata ſequatur. —
Conſilium in promtu eſt! Gamari, dilecte ſodalis,
Parsque mei melior! Si te ſincerus amavit
Hactenus Iſacus, ſi concors acta juventa eſt
Hactenus utrique, et rerum tibi forte mearum
Dulce aliquid fuit, hoc age, dum cum Patre revertor,
Maternas releva curas, ſolare dolorem,
Teque proba Iſacum! Gam. Conabor, Amice! quod optas.
Is. En tibi, dum redeo, Genitrix cariſſima! Natum!
Sa. O quis amor, quae cura mei [6]! Is. Neque plangere ceſſas?
Quidnam igitur reſtat? Patris eſt tibi nota voluntas.
Hancne jubes violare? Sa. Abſit! Mandata Parentis

6) Seorſim.

I, ſequere! Eſt eadem mihi mens. Licet 7) intima cordis
Exanimet ferale gelu! — Sociare Parenti!
Per me, Nate, licet. Propera! Prius attamen audi! —
Quid dicam! — Nihil occurrit, niſi, Nate, valeto!

SCENA VII.

GAMARIS. SARA.

Dic mihi, cara Parens! hoc ſi te, Sara! vocari
Nomine permittis, quisnam tibi pectora tantus
Uſque adeo dolor exagitet? Quid trunca profaris
Verba? Quid inceptos turbant ſuſpiria ſenſus?
Sa. Ah, Fili! renuit dolor hic compendia vocum.
Vis tibi fingendi minor eſt, facundia Sarae.
Fac, minus ut patiar, mea tunc tibi vulnera pandam,
Quae tamen haud capies; animos nam ſumere Matris,
Officiumque nequis. Gam. Saltem dolor accidet iſte
Coelicolum Domino gratus? Suprema voluntas
Eſſe vel ipſorum debet menſura dolorum.
Sa. Ne dubita! Novit Numen, quod cuncta tuetur,
Quam mihi in extremo maneat venerabile luctu,
Quam coeli decreta probem. Gam. Succurrere ſaltem
Qua poſſim ratione, doce, cauſſamque dolendi
Tollere, quandoquidem Nati nunc munere fungor.
Officium Nati eſt, caſus ſentire Parentum,
Quaque licet, relevare via. Sa. Si demere pondus
Moerori cupis ergo meo, veſtigia Nati
Eminus inſequere, et, Moriae dum culmina ſcandunt,
Non animadverſus, quaenam ſit victima, diſce,
Quive ſacri ritus. Quae poſtquam mente tenebis,
Ocyus haec celeri curſu mihi nuntia perfer.
Sic animum ſaltem ferient praeviſa dolentem

7) Seorſim.

Tela minus. Gam. Promte dabitur tibi, Sara! quod optas.
Sa. Dum redis, interea laris hac in parte remota
Luctibus indulgebo meis. Sint Sidera teſtes!

SCENA VIII.

SARA.

Infelix Genitrix! Sara! afflictiſſima Sara!
Haec tibi quam funeſta dies, qua perdere fructum
Longaevi thalami, qua pignus dulce juberis,
Quod ſolum tibi conceſſit Moderator Olympi,
Reddere! Proh ſpes deceptas! Proh gaudia fluxa!
Ergo ego poſt aliquot Mater momenta vocari
Non potero, caſtusque torus ſine germine ſtabit!
Ille Puer, Puer ille anima mihi carior ipſa,
Occidet heu! Coeptae vix primo in flore juventae
Occidet! Ipſius dextra Genitoris ad aram
Occidet! Immitis Polus! — Ah ignoſce dolori,
Magne Deus! Non! Non eſt haec ſententia Sarae!
Sara ſcit aeternis ſeſe ſubmittere juſſis.
Sed loquitur dolor, et partes ſe verſat in omnes,
Quando aliud miſerae ſibi jam nihil ipſa reliquit
Mater, praeter amare, et flere, et ſuſpirare!
Nomen dulce, Iſace! Poli dum juſſa ſinebant,
Accipe tecum animam hanc, meque hoc exolve dolore!
Non cupit extinctae Proli Sara eſſe ſuperſtes,
Cui ſoli vixit. Tecum mihi vivere dulce,
Tecum dulce mori, Fili! Sed cur ego tecum
Tarda mori cupio, cum jam tua vita ſub auras
Fugerit, et roſeo terram conſperſeris imbre
Sanguinis innocui? Videor mihi membra videre,
Quae modo certabant lacti, pallore rigere
Funereo, fractos, duo ſidera frontis, ocellos
Quaerere ſupremum lucem, et non ferre repertam.

Forte, ubi jam ſacrum ſenſiſti victima cultrum,
Ultima vox tibi Sara fuit. Forte iſta gementem
Aura levis circumvolitas. Fili, optime Fili!
Sic ego te morti genui! Non te iſta videbo
Tecta ſubintrantem poſthac, non blanda Parentis
Oſcula quaerentem? Non ſomni dona deinceps
Huic gremio infuſus capies? Non colla bidentum
Flore novo ornabis, tenero neque pollice carptum
Praebebis cytiſum mixtus ludentibus agnis,
Nomine quemque vocans? O Matris inania vota!
Quem fore ſperabam columen, fulcrumque ſenectae,
Cui deſignabam ſponſam, et caſtos Hymenaeos,
Hunc repetit Numen, Numen, quod ſaepe Marito
Oſtenſis etiam noctu rutilantibus aſtris
Iſthoc iu Puero generi longiſſima noſtro
Tempora promiſit, diadematosque Nepotes,
Illum etiam, qui ſiderea Regione relicta
Adveniet noſtro poſt ſecla Salutifer orbi!
Da veniam, ſupreme Deus! ſi tanta caligo
Humanos ludit ſenſus. Non ſegnior inde
Stabit noſtra fides. Iſaco turba Nepotum
Eſt promiſſa meo. Nunc morti addicitur idem.
Utraque qui voluit, Deus eſt. Ergo utraque fient,
Quanquam nos lateat mortales, utraque fieri
Qua ratione queant. Divinae Mentis adoro
Conſilia. Hoc ſatis eſt. — At ſaltem membra peremti
Reddere quid prohibet Matri? Cur baſia ferre
Non licet extremum? Tumuli quid honore carendum eſt
Iſaco? Sacros cur totus abibit in ignes?
Nempe Pronepte ſua longe felicior Eva!
Abelem licet illa ſuum feritate Caini
Perdiderit, corpus potuit componere ſaltem,
Accumulare roſas et inani munere fungi.
Aſt mihi nec tantum Coeli mandata licere —

SCENA IX.

GAMARIS. SARA.

Poſt longas ſi, Sara! moras tibi nuntius adſum,
Ne mihi des vitio. Scito — Sa. Quid denique dices?
Omnia nota mihi! Mater ſine prole ſuperſum!
Iſacus periit! Gam. Periit? Quem montis ad ipſam
Radicem vidi his oculis? Sa. Natusue ſuperſtes?
Non mendax ſpecies tua luſit lumina? Fili!
Gam. Quam memoras ſpeciem? Modico poſt tempore praeſens
Natus erit, colloque tuo pendebit, ut ante.
Sa. Ergo dolor Matris flexit tua numina, magne
Coelorum Rector! Proles mihi ſalva redibit!
Sed, Gamari! quaenam percuſſa eſt hoſtia Coelo?
Gam. Hoſtia? Quando pedem coepi hinc ad tecta referre,
Nondum contigerat Moriae ſuprema Maritus.
Sa. Sed longae quae cauſſa morae? Cur montis ad ima
Tantum ſubſtiterat Conjunx? Gam. Id neſcio. Forſan
Coeli expectabat nutum; nam deinde repente
Urſit in alta gradum. Sa. Miſeram me! Gam. Servus uterque
Reſtitit in plano. Genitoris dextra tenebat
Strictum enſem, ſacros ignes geſtante ſiniſtra.
Sa. Verum quid Natus? Gam. Greſſus celer ille paternos
Pone ſequebatur, non parva mole gravatus,
Ligna focum factura ferens cervice tenella.
Sa. Ergo mori toties una mihi luce neceſſe eſt!
Gam. Quis mihi tunc ſenſus, tanto cum pondere preſſum
Iſacum vidi, quem plus hac diligo luce!
O quantum timui, ne membra inſueta laboris
Deficerent! Quantum in proprios transferre lacertos
Partem oneris cupii! Sa. Gamari, proh deſine! Matrem
Conficis, atque tuis laceras mea vulnera dictis!
Gam. Ecce, Abrahamus adeſt [8]! Sa. Heu me! Jam denique finem

8) Venientem obſervans.

Sacra tulere ſuum! Gam. Dubitas? En ſanguine tiuctum
Dextra refert enſem. Sa. Qua me nunc parte recondam!
Ah fugiam triſtem intuitum [9]!

SCENA X.

ISACUS. ABRAHAMUS. PRIORES.

Salve, optima Mater!
Abr. Quem fugis? o Conjunx! Is. Mater! cur ora retorques?
Sa. Fili! tune redis? Sunt haec ludibria ſomni?
An vigilo? Tune Iſacus? Is. Sic ſidera longum
Te mihi conſervent, ſum! Sa. Vivis? Nate! Marite!
Non igitur fallor? Grates tibi, maxime, grates,
Coelorum Rector! Sed qua ratione, docete!
Qua ratione — Abr. Audi, et ſuperae bonitatis adora
Prodigia! Ut didici, qua ſit mihi parte litandum,
Ingredior feſtinus iter, Moriaeque propinquo,
Conjectu facile eſt, aegra quid mente volutans.
Solus erat comes Iſacus. Forte inter eundum
Blanda voce rogat: quaenam ſit victima. Moeſtus:
Aſtra dabunt! Superis erit iſthoc cura! repono,
Inſiſtoque viae. Montis dum ſumma tenemus,
Protinus ara mihi viridi de ceſpite ſurgit,
Conſtruiturque rogus. Tunc demum vincula Nati
Injicio manibus. Sa. Quid tum miſer ille? Timorem
An faſſus? Quonam vultu coeleſtia juſſa
Excepit? Abr. Finge agnellum, qui colla daturus
Ducitur, innocuum, mitem, et ſua fata ſequentem.
Talis erat. Sa. Gelida mihi ſtat formidine ſanguis,
Triſte miniſterium Patris dum mente revolvo!
Abr. Falleris, o Conjunx! Abrahamus deſiit eſſe
Tunc Pater. Ignotum ſenſi mihi robur adeſſe.

9) Occupatur ab occurrente Filio.

Gratia vincebat naturam, arcana replebat
Lux animum jungens dilecti funera Nati,
Et promiſſa Dei, cor ſacro ardebat amore,
Cernereque auguſti mihi Numinis ora videbar.
Jamque caput Nati curvatum laeva tenebat
Luminibus coelo fixis, jam dextra coruſcum
Tollebat gladium mox vibratura — Sa. Quis horror!
Abr. Cum ſubito coelum inſolito ſplendore refulſit,
Voxque audita meas, et Nati perculit aures:
Siſte, Abrahame! manum! Non poſcit plura Jehova.
Sat patuit, quantum verearis juſſa ſuprema.
Sa. Reſpiro! Abr. His verbis Pater eſt mihi redditus. Omnes
Continuo motus rediere in pectus, amori
Gaudia mixta, timor, pietas, velut aggere rupto.
Tentabam laudare Deum, ſed lingua negabat
Officium verbis. Diſſolvere vincula Nato
Tentabam, renuere manus. Tunc verba ligatis
Imperfecta ſonis, tunc mixto baſia fletu,
Tunc teneri amplexus — Ah nunc quoque gaudia mentem
Confundunt, rapiorque mihi! Tu cetera, Fili!
Proſequere! Is. Inceptis igitur tunc victima Sacris
Defuit. Inſonuere rubi. Reſpeximus. Ecce
Non procul hinc mediis aries in ſentibus haeſit.
Hic igitur felix ſubiit mea vincula, quamvis
Non abſque invidia, et ſacratis ignibus eſcam
Praebuit innocuam. Nos hinc ad tecta redimus.
Gam. Ter felix Abrahame! tuae qui tale dediſti
Exemplum fidei! — Quid fit! Non audit! In aſtra
Lumina defixit! Sa. Conjunx! Abrahame! Caleſcit
Igne ſacro! Is. Superis exardent ora favillis!
Abr. Omnis fons et origo boni! Coeliquë, marisque,
Terrarumque potens! mihi quae portenta revelas!
Quae nova conſpicio! Pater ille aeternus amatam
Offert Progeniem. Mortem fert mente lubenti,
Quam nunquam meruit, Natus. Cur triſtia tergo

Inſtrumenta necis gerit ipſe? Quid unicus inter
Tot montes Moria eligitur? Quid victima ſpinis
Tempora cincta gerit? Jam me tenet ordo futuri!
Secula proſpicio tardo vivenda Nepoti!
Ah video Moriam meliori ſauguine ſparſum!
Intueor Sobolem, cui non mortalis origo,
Inclinare caput, grandemque animam exhalare
Patris in obſequium! Celat ſua lumina Phoebus.
Aerii quatiunt intonſa cacumina montes.
Tumbae ſe reſerant, concuſſaque terra dehiſcit.
Coelum nox inſueta tegit. Tua ſentio dona,
Sentio, ſumme Deus! Totis optata medullis
Haec eſt illa dies! Nos, nos cruor ille lavabit,
In quibus heu ſordet magni Genitoris imagò!
Uſibus haec noſtris debetur Victima, nata
Juſtitiam placare reis, peccataque Mundi
Tollere. Mors iſthaec nobis deperdita jura
Reſtituet, clauſumque diu reſerabit Olympum.

JOSEPH VATES.

ARGUMENTUM.

Innocentiam ſaepe quidem premi, non tamen opprimi, docuit Joſeph, dum ope Pincernae Regii e carcere evocatus Pharaoni Somnium, quod omnes Aegypti Sapientes latebat, feliciter interpretatus, atque ab eo univerſo Regno praefectus eſt. *Haec Geneſ. C. XLI.*

PERSONAE.

PHARAO Rex.
PUTIPHAR Herus Joſeph.
JOSEPH Servus Putiphar.
PINCERNA Regis.

SCENA I.

PHARAO. PUTIPHAR.

Juſtus, Amice! tuus dolor eſt, juſta ira. Sceleſtum
Certa manet vindicta. Scient mihi ſubdita Regna,
Solicitare fidem thalami qua morte pietur.
Teſtor id aeternum Solis jubar, omnia teſtor
Numina, quae mille in templis mea ſupplice ritu
Gens colit! Aſt gravior quae me modo cura fatigat,
Supplicium differre jubet. Sub nocte profunda
Somnia viſa mihi — Put. Quid ſomnia? Scilicet iſta
Nos prohibere queant, ne ſontes poena ſequatur?
Somnia, Rex! metuis, non jura offenſa? Futuris
Abriperis, quid forte velint, ignarus, et atrox
Inque oculis patratum etiam punire moraris
Flagitium? Solitis jam bis tua regna rigavit
Nilus aquis, ex quo ſecurus dormit adulter,
Carcere concluſus, tamen ipſo in carcere liber,

Inſultansque mihi. Sed ſcilicet iſta meretur
Putiphar. Haec referunt vigilatae praemia noctes,
Exhauſtique dies — Phar. Satis eſt! Si tanta cupido
Vindictae exagitat pectus, rape, perde nocentem,
Qua ratione libet! Put. Fixum eſt. Cadet iſta duobus
Hoſtia! Juſtitiae, proprioque litabo dolori!

SCENA II.

PHARAO.

O mens hominum caeca futuri!
Non ſat vigiles ludimur! Ipſam
Somnia turbant ſaepe quietem!
Caſa ter felix, cujus ab aditu
Morpheus tetricis exulat umbris,
Cui Paupertas, Curaque recti
Servat limen! Non terrificis
Nox ibi mentes agitat formis.
Nos heu petimur celſi ſolio!
Nil mollis olor, nil gravis auro
Prohibet thalamus. Regum curae
Vigilant ſemper. Noſtris inhiant
Oſtenta toris. O quam, memini,
Dirus pepulit pectora viſus,
Dum de medio ſurgere Nilo —
Paveo repetens! Ah quae Regno
Metuenda ſuper! Jam mihi videor
Dira minantes audire Magos [1]! —
En ſuper haec juſſus Sapientum exquirere ſenſa
Jam redit. Ah meliora, Dei! Regnoque, mihique!
Neſcio, quid vultu incerti gerit. Omen, abeſto!

1) Venientem proſpiciens.

SCENA III.

PINCERNA. PHARAO.

Ingratus, Rex magne! tibi ſi nuntius adſum,
Da veniam! Non culpa mea eſt, ſed culpa Deorum.
Templa negant reſponſa, negant ſacra Carmina. Tantis
Nemo valet tenebris optatam affundere lucem.
Imperiis excita tuis longaeva Magorum
Turba diu nullis ſtudiis, nullive pepercit
Ingenio. Delubra calent prece, thure, cruore,
Surdus ad haec Aether, tua quid ſibi ſomnia poſcant,
Diſſimulat. PHAR. Si vera refers, quid denique Regno,
Quid Regi ſupereſt? Tantis occurrere inermem
Oſtentis me poſſe putas? Ferientis adorem
Porrecta cervice manum? PIN. Si pauca monentem,
Rex! audire velis, nondum ſpes omnis in auras
Irrita diſceſſit. PHAR. Loquere! PIN. Olim carcere clauſus
Cum Piſtore tuo quaedam ob delicta tenebar.
Ambo ibi, ſed varia terremur imagine ſomni,
Moeſti, quid ſibi forte velint, jactamur et ambo.
Tunc genere Hebraeo juvenis, cognoſcere viſa
Quando datum eſt: Tu Piſtor, ait, cum fulſerit Eos
Tertia, ſublimis furca pendebis ab alta;
Tu Pincerna aulam repetes, et Regis, ut ante,
Ad cyathum ſtabis. Succeſſus vera locutum
Afferit. Huic igitur tua, Rex! quoque ſomnia crede.
Omnis in hoc ſpes eſt. Nihil illum praeterit uſquam,
Nil latet. Ille Deus, cui ſe ſervire fatetur,
Mirum, quanta poteſt! PHAR. Sed quid cuſtodia vinctum
Attinet hunc? PIN. Diro ſuſpectum crimine vinclis
Putiphar addixit. — PHAR. Quid? Putiphar? PIN. Ille. PHAR. Deorum
Quisquis es, humanas qui nondum pectore toto
Deſpicis aerumnas! in me tua lumina verte!
Heu me praecipitem! Crudeli ego tradere morti

Te potui, cui noſtra ſalus, cui credita coelo
Certa futurorum ratio. Pete carceris umbras
Ocyus, et Juvenem, ſi nondum fata ſubivit,
Huc mihi ſiſte! PIN. Dei! dextram prohibete profanam!
Heu cadit interpres veſter!

SCENA IV.

PHARAO.

Sic credulus ergo,
Sic etiam praeceps in mea damna fui!
Putiphar! hunc Regni jactas, hunc Regis amorem,
Ambo ut in unius morte perire velis?
Vindictae pretioſa ſitis, cui Rege litandum eſt!
Auſer enim Regno proſpera, Rex quid erit?
Proſpera quis Regno nunc aufert? Caedis iniquae
Putiphar exactor, Rex ego juſſor eram!
Heu pudet! In media videor mihi morte natantem
Cernere, qui certa Regna levaſſet ope!
Jam jacet heu! — Jaceat! Thalamos decepit heriles.
Impius eſt. Fidos non habet ergo Deos! —
Impius eſt? Quo teſte? Refert id Femina. Nempe
Artibus, ut credas, hae meruere ſuis. —

SCENA V.

PINCERNA. PHARAO. JOSEPH CUM SATELLITIBUS.

Rex, vive! Coelum commodis vigilat tuis.
Adeſt propinquae raptus Interpres neci.
Expone viſa! PHAR. Mole dubiorum gravi
Penitus ſepultum rurſus ad vitam vocas!
Effare, Juvenis! nomen. Jos. In patria domo
Joſeph vocabar. PHAR. Quae tibi patria eſt domus?

Jos. Hebraea gens me genuit. Phar. In terras meas
Quae te tulere fata? Jos. Coalitum mihi
Renovare parce vulnus! Eſt coelo Deus,
Qui cuncta novit. Phar. Fama praeſagum tibi
Tribuit futuri pectus. Jos. Haud magnum puta,
Futura noſſe. Hoc nonniſi coeli eſt favor;
Sed quisquis illo eſt dignus, hunc magnum puta.
Qui voce ſola condidit, quidquid vides,
Patrum meorum rector et merces Deus
Ultro coruſco pectus illapſu beat,
Sua quod veretur juſſa, quod culpam fugit.
Phar. Audi igitur — Jos. Audi viſa, Rex! igitur tua!
Phar. Quae monſtra! Jos. Placido fuſus in ſomnum toro
Nili tenere viſus es litus tibi.
Ecce e profundo gurgite attollunt caput
Septem venuſto corpore et forma boves,
Morſuque ripae roſcidas carpunt opes.
Poſt alia facies rebus. Emergunt aquis
Totidem boves, an potius exuviae boum,
Obſcena viſu corpora, exangues fame,
Nihilque praeter oſſa. Vix terram tenent,
Patulo priores appetunt rictu boves,
Conduntque ventre. Somnum id excuſſit tibi.
Num vera refero? Phar. Vera! Quis ſtupeat ſatis!
Jos. Septem reverſus exhibet ſpicas ſopor,
Rurſusque eodem, quo boves, perdit modo.
Manifeſta nunquid? Phar. Aliud ut nil ſit magis!
Jos. Rex, igitur audi! Per tibi viſas boves
Notantur anni. Septies ſolis rotae
Duodena peragent ſigna, nec Phariis plagis
Florebit ulla laetior. Frugum undique
Opulenta dona fertiles agros tegent,
Et avida quamvis vota ruricolae ſibi
Superata cernent. Septem ubi exactis fluet
Octavus annus, alia tum rebus via,

Agriſque forma veniet. Acceptum ſinu
Noverca tellus ſemen in ſtipulas leves
Jubebit ire. Nilus egreſſu ſuas
Prohibebit undas. Horrida urgebit fames
Utramque ſolis patriam. Id ſeptem boves,
Totidemque ſpicae denotant. Placuit Polo
Tibi iſta per me pandere. Oblatum Poli
Ne ſperne munus! Te tuis patrem exhibe!
Nunc, dum benigna eſt terra, conſtitui decet
Fidum Adminiſtrum regia replentem horrea
Undique coemta fruge, quo cives tui
Eſcae indigentes, tempore infeſtae famis,
Certi recurrant, unde praeſidium paret
Rumore motus, quisquis Aegyptum accolit.
Haec, Rex, memento! Quando jam reliquum eſt nihil,
Anguſta repeto carceris. Phar. Siſte! Jos. Impera!
Phar. 2) Quid ſtatuo! Potius — Non placet! — Nequeo! Pin. Moras,
Rex, tolle! Phar. Juvenem, Miles! aſſerva interim
Hic in propinquo 3)! Res ſibi haec poſcit moram.

SCENA VI.

PINCERNA. PHARAO.

Quid fieri, Rex magne! putem, quod ſerius adſtas,
Quod tibi nil minuunt curas audita, quod haeres
Immerſus dubiis? Juvenem, quem noſſe negabas
Antehac, ſolicitus per me, impatiensque vocaſti;
Praemia nunc meritum poenae, durisque remittis
Carceribus. Quantum Pharao mutatus ab illo eſt,
Da veniam verbo, qui quondam — Phar. Parce dolorem
Ponderibus cumulare novis! Mutatus ab illo,

2) Seorſim.
3) Seducitur.

Digitized by Google

Qui fueram, non ſum. Vellem, mutatus ut eſſem!
Non dolor hic foderet mihi corda! Pin. Doloris origo
Quae ſit, ſcire velim! Phar. Neſcis, temeraria lingua
Quid valeat cauſſare mali! Per Numina cuncta,
Per jubar aeternum Solis paullo ante ſpopondi
Putiphari mortem Joſeph. Pin. Pateſecerat ille
Tunc nondum tibi viſa. Phar. Reus non deſinit eſſe,
Qui ſceleri admiſſo ſubdit beneſacta. Pin. Sed uno
Qui laeſo Regi reddit, Regnoque ſalutem,
Deſinit eſſe reus. Si vis, moriatur adulter,
Vivat at interpres Superum. Phar. Quid pandere viſa
Profuit, o Coelum! Si gratum non licet eſſe,
Poena mihi favor eſt! — Statui! Moriatur adulter!
Ingratus, ſed juſtus ero. Quin Numina gratum
Me dicent, ſi ſervo ſidem. Pin. Quis criminis illum
Convicit? Semperne reus, quem tangit iniqua
Suſpicio? Phar. Quibus ah dubiis involvor! Pin. En ipſum
Putipharem!.

SCENA VII.

PUTIPHAR ET PRIORES.

Sic vilis ego, ſic dignus, ut omni
Fabula ſim populo, videor? Rex! verba dediſti
Non mihi, ſed Coelo! Teſtatus Numina cuncta
Te mihi ſpondebas Captivum ad certa daturum
Supplicia; ut ſubii ſquallentia tecta reorum,
Nullus erat. Qua ſit liber ratione, roganti
Dicitur imperio Regis, juſſuque vocatus
Veſtitus ſumſiſſe novos, Aulamque ſuperbo
Hinc petiiſſe gradu. Quo fasque, piumque receſſit?
Quae ſpes eſſe poteſt laeſis, quae ſontibus auſis
Frena modum ponent, ſolii ſi tutus in umbra eſt
Impius, et celant regales crimina panni?

Da veniam! Dolor indomitus me longius aufert! —
Phar. At dolor indomitus, qui te aufert, omne relinquit
In te jus mihi? Tu regis reprehendere geſta,
Quorum cauſſa latet? Scires, niſi mitior eſſem,
Quanta coronatas iras vindicta ſequatur!
Sed reputo majus, vindictam ſumere nolle,
Quam manibus teneas; meritis quoque ducor, et illo,
Quo patriam ſemper ſtudio complexus amabas.
Do veniam. Tu da pariter! Put. Cui? Phar. Percipe, dicam.
Patria cara tibi eſt? Put. Ut nil ſit carius! Phar. Illi
Si poſſis prodeſſe? Put. Lubens vel ſanguine proſim!
Phar. Si, patriam qua parte juvas, hac parte noceres
Forte tuis? Put. Commune bonum non vincitur ullo
Privato. Uxorem, proles, et ſanguine junctos
Numina dant, ut in his patriae teſtemur amorem.
Verus id attendit civis, ne munera dicat;
Pignora ſunt, quae, ſi tulerint ſic fata, lubentes
Reddamus patriae. Sed quo ſic tendis? Phar. Adeſto
Nunc animo. Joſeph thalami ſacra foedera ſolvit;
Demus enim, quamvis dubiam mihi plurima mentem
Injiciunt. Haec ſi vera eſt injuria, ſoli
Facta tibi eſt; aſt nunc idem, quae pandere nulla
Vatum, quos haec Memphis alit, ſapientia novit,
Somnia diſcuſſit Regi, Regnoque timendas
Praevertit clades, et profuit omnibus unus.
Quid ſuades? An adhuc vindictae inſana libido
Te ſtimulat? Poenamne paras, an praemia? Profer!
Quid dubitas? Commune bonum non vincitur ullo
Privato. Uxorem, proles, et ſanguine junctos
Numina dant, ut in his patriae teſtemur amorem.
Put. Deſine, Rex! en cedo manus. Quem patria ſalvum
Poſtulat, haud damnat civis. Dum publica conſtent
Commoda, nil dubitem privatae ignoſcere culpae.
Quamquam o me laevum, cui ſolis queſtibus Uxor
Sola fidem fecit! Qui mente futura tuetur,

Digitized by Google

Qui Coeli ſecreta videt Conviva Deorum,
Talibus admiſſis animum non inquinat. Inſons
Jam mihi, jamque tuo, Rex! dignus amore videtur.
Hic adſit, cernes, faxo, quid regia poſſint
In cives exempla! PHAR. 4) Suo cuſtode ſolutus
Prodeat huc Joſeph! Primum mihi cedat uterque
Alloquium. — Proh quale decus 5), quae mentis in iſto
Emicat integritas vultu!

SCENA VIII.

PHARAO. JOSEPH ET PRIORES.

Patefacta ſagaci
Somnia judicio Regis, populique favore
Te dignum facerent, Juvenis! ſi crimen abeſſet,
Quod tibi ad hunc praecludit iter. Jos. Quod crimen? Ab aſtris
Qui ſpectas haec, magne Deus! qui ſcire dediſti,
Quid Regis ſibi viſa petant, tu teſtis adeſto!
Si tibi corda placent nivei ſtudioſa pudoris,
Me prece ſolicita tentatum ſaepius omnes
Infregiſſe artes! Mendacem fulmine miſſo
Dejice! Sat nondum videor tibi vera locutus?
Putiphar! En promtus reddo mea membra catenis;
Quin moriar promtus! Non haec me vita moratur,
Quae ſervo procul a facie Genitoris agenda eſt.
Scit Polus inſontem. Satis eſt. PHAR. Quid fingimus ultra!
Jam nequeo! Patere, ut pectus, cui prodigus Aether
Se totum infudit, cupidus complectar 6)! PUT. Amici
Nomine jam dominum, Joſeph! dignare priorem!
Poenitet erroris! Veniam largire precanti!

4) Innuit Pincernae, qui evocat.
5) Ut videt venientem.
6) Complectitur Joſephum.

Inſontem agnoſco. Tibi, Rex! jurata remitto
Numina. Pin. Me pariter veterem ne ſperne ſodalem,
Care Deo Juvenis! Quos carcer junxerat olim,
Junget amicitiae nunc nexus firmior. Aulae
Tu me reddideras pridem; te ſerius aulae
Nunc reddo, ſed reddo tamen. Jos. Ludibria ferre
Sat didici. Inſultet, qui vult! Phar. Ludibria non ſunt
Iſta, ſed affectus grati Pharaonis, Amice!
Sat tua ſuſtinuit virtus. Aliena tuliſti
Imperia, et longi ſquallorem carceris inſons.
Jam dabitur merces. Non eſt haec barbara tellus.
Nos quoque virtutis fulgor rapit. Illa deinceps
Patria ſit tua, quam divino munere ſervas;
Neve tibi in Patria deſit Pater, accipe Patrem!
Ille ego ſum. Natum ſolo Genitore minorem
Aegyptus ſciet. Huic ſolers alimenta miniſtra!
Perfice conſilium, cujus mihi providus ante
Autor eras, dum nullus adeſt te dignior alter.
Jam modo regali cultu viſendus, eburno
Sublimis curru noſtrae oſtentaberis urbi,
Et populis, queis jura feres, documenta daturus,
Qui patriae proſit, quo ſit cumulandus honore.
Jos. Quo me, magne Deus! per tot diſcrimina ducis!
Quis ſatis extollat numen, quo cuncta gubernas,
Alternas, varias, miſces! E carceris umbris
Provehis in ſolium! Quis non tua pronus adoret
Conſilia! En ſervo poſito regalibus ornor
Induviis! Animos inſpira hoc munere dignos,
Id, quod vis, ut et ipſe velim, poſſimque! Timori
Perpetuus comes adſit amor! Non impia mentem
Ambitio, non ſplendor opum, non caeca libido
Blanditiis agat in praeceps! Intelligat Orbis,
Quam bene vel cunctis praeſint mortalibus illi,
Qui didicere Dei mandatis ante ſubeſſe!

Digitized by Google

DAVID PATER.

ARGUMENTUM.

Inter ceteras calamitates, quibus Davidis virtutem exercere Deo placuit, non minima fuit mors Abſalonis Filii a Joabo interfecti, quem etſi rebellem uſque adeo luxit, ut aegre demum, et non niſi graviter officii regii a Joabo commonitus erigeretur. *Haec L. II. Reg. c. XVIII. XIX.*

PERSONAE.

DAVID.
JONATHAS, JONADAB — a Conſiliis Regi.
JOAB Dux Exercitus.
CHUSI, ACHIMAAS — Nuntii.

SCENA I.

DAVID. JONATHAS.

Huc ventum eſt igitur! Solymis dare terga coacti
Hactenus effugimus mortem, Natique rebellis
Cedimus inſanis furiis. Proh futilis oſtri
Splendor, et in quavis nutantes fronte tiarae!
Ille ego, qui domito ſuper aſtra Gigante ferebar,
Cujus ad aſpectum hoſtiles trepidare catervas
Abramidum populus toties conſpexit, ab aula
Nunc profugus nequicquam oculos ad cara Sionis
Culmina converto! Solium, ſceptrumque paternum
Natus habet, cujus fraterno tincta cruore
Dextera nunc etiam jugulum Genitoris anhelat.
Me miſerum! Non me lacrimantem, et multa gementem

Vidit, et obſtupuit Cedron, juſſisque ſilere
Vorticibus Dómino indoluit! Non fletibus iſtis
Clivus olivarum maduit! Sed mitto minora.
Arca Poli pignus! pleniſſima Numinis Arca!
Tu me deſtituis, mea ſpes! ſpes certa meorum!
Te careo! Ah Superi — Jonath. Rex, caſſis parce querelis,
Invictumque animum, majoraque pectora fato
Redde tuis! Memini, cum te gravis ira Saulis
Exactum patria premeret, per inhoſpita teſqua,
Per deſerta feris habitata latere coactus
Quantus eras. Non te immiti ſub frigore noctes,
Non tolerata fames, non mille adverſa movebant.
Haec quoque non raro dicentis verba notavi:
Fiat, quod placitum eſt Coelo. Quid regia ponis
Pectora? Num nihil eſt tibi de Davide relictum?
Num ſolium tantum fortes capit? Erige mentem!
Scis promiſſa tibi. Coeli, Superumque favorem
Expertus toties diffidere deſine! Servant
Aſtra fidem. Dav. Non eſt mihi cauſſa doloris, Amiçe!
Maxima, quod patior. Merui, et meruiſſe fatebor,
Dum vivam! Memori recolo mea crimina mente.
Semper adhuc oculis momentum triſte recurſat,
Quo vidi, et perii! Semper me flebilis umbra
Uriae ſequitur! Merui, neque deprecor iras
Aetheris. Aſt Natus, funeſtum heu nomen! iniquis
Auſibus in Patrem ſurgit, ſacrataque calcat
Naturae imperia, et rapto per crimina regno
Haec quoque crudelis graſſari in viſcera poſcit.
Hoc eſt, quod cruciat! Timeo Natoque, mihique.
Me petit heu Natus, Natum vindicta Jehovae!
Nota mihi Nemeſis ſcelerum juſtiſſima vindex.
Haec te, Nate! petet, violataque jura Parenti
Reſtituet, vitámque tuam mea jura valebunt
Forſitan. Ah tanti non ſunt mihi regna, thronusque!
Quamquam etenim ſpernas Patris venerabile nomen,

Fraternamque necem ſtatuas cumulare paterna,
Non tamen hinc Natus mihi deſinis eſſe! Loquuntur
Te Natum hae venae, hoc pectus, ſemperque loquentur!
Abſalo, ſcis igitur, mihi cauſſa doloris, Amice!
Maxima. Jonath. Pone metum! Dabitur tibi ſalvus. In iſtud
Cura Ducum incumbet. Vidi ipſe, animoque notavi,
Ultima quando dabas fido mandata Joabo,
Et Ducibus reliquis, cum jamjam ſtaret in armis
Proceſſura acies, mandata ſuprema fuiſſe:
Abſalo ſit ſalvus! Salvum mihi ſiſtite Natum!
Dav. Haec equidem dixi; ſed quis diſcrimina neſcit
Bellorum, variasque vices? Occurrere forſan
Filius ignoto poterit. Quis figere metam
Tot novit telis? Quis ponere frena furori,
Dum calet, et tota Mavors dominatur arena,
Dum ruit oblitus vitae per tela, per enſes
Bellator mortem, exitium, millenaque portans
Vulnera? Jonath. Vera quidem memoras; at plurima fingit
Ingenioſus amor. Nimio moderare dolori,
Nec Coeli placitis pugna! Defendere Natum
Si velit, accipies reducem; ſi perdere, caſſas
Effundis lacrimas, caſſisque doloribus inſtas. —
Sed celeres aliquis greſſus huc Nuntius infert!

SCENA II.

JONADAB ET PRIORES.

Dav. Jonadab, an coiere acies? An claſſica nondum
Terrificis cecinere modis? Jonad. Cecinere. Caleſcit
Pugna. Tuo juſſu tumulum, quem proxima tollit
Planities, tenui, ſummoque e culmine vidi
Ordinibus denſis infeſta incedere ſigna,
Hinc hoſtes plures numero, quos horrida ſilva
Protulit in lucem, tergoque objecta tuetur,

Inde tuos, quos non numerus, ſed bellica virtus,
Armaque te ſolo tractari coepta magiſtro
Invictos fecere. Ubi jam contingere telis
Utraque pars hoſtem poterat, ſtetit utraque campo.
Tunc ego ſupplicibus palmis ad ſidera verſus
Has fudi ore preces: Nunc o, nunc aequus adeſto,
Coelicolum Rector! nunc juſtam protege cauſſam,
Si tibi Davidis pietas, ſi Carmina cordi!
Frange feros hoſtes, et Natum plecte rebellem!
Interea coelum clamor ferit. Ocyor alis
Fulminis adverſos miles tuus impetit hoſtes.
Plus me pulvereae vetuerunt cernere nubes.
Lux arcana tamen cunctis illapſa medullis
Spem facit haud dubiam palmae. Dabis impie poenas
Abſalo! ſi quidquam — Dav. Proh deſine, lugubris augur!
Cui loqueris, Pater eſt. Jonad. Et amas tua fata volentem?
Dav. Filius eſt. Jonad. Tantum tibi vana vocabula poſſunt?
Quos igitur dices hoſtes, ſi Filius ille eſt,
Qui rapuit tibi ſceptra, tuosque inquirit in annos?
Dav. Ah quoties mecum, quae ſuades, ante peregi!
Sed quid proficio! Nimium natura diſerta eſt,
Ac veluti radice ſua firmiſſima quercus
Deſpicit aſſultus Boreae, ſic ſenſibus imis
Fixus amor ſobolis nulla ratione moveri,
Convellique poteſt. Jonad. Saltem tua reſpice regna,
Queis pax nulla diu, dum vixerit Abſalo, ſtabit.
Novi hominis mores. Ferum et implacabile pectus,
Nil Davidis habet. Satis hoc Amnonis iniquum
Comprobat exitium. Dav. Quas me propellis in undas!
Jam tenui portum. Fateor. Rubus aſper amomum
Ante feret, veteres quam Filius exuat aſtus.
Amnoni exequias, vindictam legibus, orbi
Juſtitiae ſpecimen teneor! Jonath. Sic rurſus inanis
Te metus exagitat! Quo manſuetudo receſſit,
Cujus tu Superos proprio meminiſſe jubebas

Carmine [1]? Jonad. Saepe etiam peccant bonitate Potentes.
Ille favet ſceleri, qui plectere negligit. Dav. Utri
Danda fides! — Statui! Mentis mihi pandat uterque
Ordine ſenſa ſuae! Lubet auſcultare. Sedete!
Jonadab, eſto prior!

Jonad. Inſignem manifeſtae temeritatis notam incurrerem, Rex! ſi inducerem in animum, id, quod in cauſſa praeſenti apud alios dicturo certiſſime ſcirem eventurum, apud te quoque verba facienti eſſe metuendum. Poſtquam enim Filium natu maximum tanta tibi conſtantia paſſus es eripi, ut fratrem ejus, eundemque ſicarium non modo venia, ſed ſummo inſuper amore complexus ſis, poſtquam primum illum tuae cum Bethſabea conſuetudinis fructum non niſi ſeptem dierum luctu proſequi voluiſti, non vereor, ne, dum tertio quoque Filio carendum eſſe pronuntio, aut inſolitum quid, aut arduum nimis mea tibi proponat oratio. Fecit ſingularis illa tua ſapientia, ut Filiorum duorum, quorum alter peccare non potuit, alter peccavit ſemel, jacturam aequo ferres animo, faciet eadem, ut jacturam non putes, eo carere Filio, qui ſi Filius dici poteſt, nihil eſt uſpiam gentium adeo barbarum et immane, quod hoc nomen promereri non videatur.

Repete memoria diem illam funeſtiſſimam, qua medias inter epulas Amnon Fratris manu infelicem efflavit animam! Quid inde ad hoc uſque tempus molitus eſt, quid egit Abſalo, unde vel tenue veſtigium ejus pietatis, quam Filii Patribus, ejus obſervantiae, quam Cives Principibus debent, extaret? Fraterna primum caede reſperſit manus, ut aſſuefactae veluti cognato ſanguini a paterno minus abhorrerent. In quo conſervando ſi praepotens Coeli vigilantia impios ſceleſti parricidae conatus luſit, non ideo ei voluntas, quae in perditis nunquam non eſt expedita, ſed opportunitas dicenda eſt defuiſſe. Et talem tu Filium, non dicam amore tuo, ſed vel vita dignum judicas, qui proculcatis divinis et humanis juribus, rupto ſanctiſſimo illo, quod Liberos Parentibus adſtringit, vinculo, ad exitium tuum profligata improbitate graſſatur? Hujus tu moveris

1) Pſalmo 131. v. 1.

Digitized by Google

periculo, qui tuo adeo non movetur, ut non ante ſe plena ſecuritate frui poſſe exiſtimet, quam ſpiritum tibi iſtum extorſerit? Hujus tu nefarios conatus incauta foves indulgentia, quos Coelum ipſum, cujus imitatores vos Reges profitemini, olim in Caino ſeveriſſima eſt ultione proſecutum?

Dum Reges dico, non exiguum orationi meae pondus accreſcere ſentio. Regiarum enim partium eſſe quis neſcit, pacem, veram illam, nativamque Regnorum felicitatem, perditam ſtudiis omnibus recuperare, recuperatam non conſilio modo, et induſtria, ſed armis etiam ſolicite tueri? Et videtur Coelum non alia ratione Principes ſuper vulgus evehere, quam, ut quantum dignitate, tantum etiam pacis, tranquillitatisque publicae amore ceteros antecellant. Quorum in numero quo jure te cenſebit Poſteritas, utpote per quem ſtat, quod divinum pacis donum regnis his arceatur? Tu enim improbum ejus exterminatorem, dum amas, adjuvas, dum perdere caves, armas, dumque peſſimi Filii oblivisci renuis, optimorum Civium oblitus vaſtitatem agris, viis latrocinia, caedes urbibus, tectis incendia, contemtum ſacris adduxiſti. Tam ſcilicet viles ſumus, quamvis divino oraculo commendati tibi potius, quam ſubjecti, ut, verbo ſit venia, quo caeco tuo in Filium, an parricidam dicam, amori facias ſatis, noſtrarum neque fortunarum, neque periculorum, neque ſanguinis ulla tibi ſuperſit cura, aut miſeratio. Neque ego haec ſolus gemo; gemunt mecum tot oppida, tot urbes, quin et ipſa infelix Hieroſolyma ſuperbi victoris faſtum, intemperantiamque nimium experta, dum tu interim cariſſimi Filii recordatione paſceris, ſolicitusque caves, ne quis ferrum ejus in patriae jugulum intentum importunus aut excutiat, aut moretur.

Haeccine eſt tua in patriam pietas, haec electi Populi, haec Fratrum tuorum cura? O redde tandem, redde, inquam, Davidem illum nobis, qui per tot diſcrimina eluctatus ad ſolium dubium fecit, placeretne plus Coelo, an Terris prodeſſet! Noli vanis nimium deferre nominibus, et cujus ingenium non niſi ad fraudes, furorem, inſaniamque proclive noſti, ejus emendationem ne fruſtra expectes. Da id Filii tui indigne peremti Manibus, da Civium tuorum votis, da Regis majeſtati in te violatae, da denique vitae Patris tot

Digitized by Google

appetitae inſidiis, ut ne diutius haec fax ſeditionis noſtris gemitibus nutriatur! Palam faciet hodierna dies, quo in tuos ſis animo, dum aut captus ille tibi ſiſtetur in vinculis, aut interemti fama ad te perferetur. Denique memento te cuſtodem juſtitiae, id eſt, Regem eſſe, et ſi vis, etiam Patrem te eſſe memento, ſed tot filiorum, quot Civium, qui Abſalone ſalvo ſalvi eſſe non poſſunt.

Jonath. Si tantum a me privatae offenſiones contenderent, quantum fides Regi, pietas Patriae debita poſtulat, non eſſet, Rex! quo minus pedibus in Adverſarii ſententiam mihi eundum eſſe ducerem. Poſtquam vero a puero doctus ſum, id probare, non quod uni, ſed quod conducat omnibus, pace tua dixero, Jonadab! Patris et Regis partes quae ſint, te aut non tenere, aut nolle profiteri. Dum enim Patrem ad Amnonis vindictam provocas, te accuſas, cujus, quod haud neſcimus, conſilio ſuum ille debuit exitium, dum Abſalonem parricidam facis, loqueris, non convincis, dum ſeveritatis tantum Regem vis eſſe memorem, ſolium evertis, non confirmas. Ego vero Abſaloni veniam, clementiamque, non ex eo modo, quod juvenis aetate potius, ac imprudentia peccavit, ſed vel ex eo etiam, quod Patrem offendit, deberi contendo.

Juvenilem aetatem nullo aut exiguo rerum uſu, nullaque prudentia praeditam nativo calore, ingenitoque impetu ad omnia prava proclivem eſſe, quis eſt, qui neſciat? Accedant huc frequentia aequalium in pejus exempla, accedant amicorum improborum ſtimuli, quibus; ut Amnonem, ita neque Abſalonem caruiſſe conſtat, et videbimus eam non ita multo poſt in omnis perverſitatis profundum infelici ruina praecipitatam. Hanc tu calamitatem cui demum deberi exiſtimas? Adverſarie! Aetatine incautae? Aſt huic indolere, non iraſci aequum eſt. Nefario igitur palpantium artificio, blandis aſſentatorum incitamentis! Fratrem interfecit Abſalo. Grande ſcelus, interficere, qui lege divina vivere non poteſt! Arma ſumſit in Patrem. Extorqueantur, puniatur, ſed vivat! Quis enim eſt, cujus emendatio ſublatis malorum illecebris ſperari non poſſit? Quanta, Deum immortalem! calamitas nos involveret, ſi ita, Rex! tecum actum fuiſſet, uti nunc cum Filio tuo agendum cenſet Adverſarius! Gravibus te olim culpis obſtrinxiſti, ut eſt naturae humanae fragili-

tas. Ignovit tibi Coelum, ut diſceres, non ſola morte tolli de medio ſcelera, magnam eſſe vim grati animi, multum poſſe recordationem veniae impetratae. Et erit, qui dicat, id Filium nulla ratione poſſe, quod Patrem feliciter praeſtitiſſe nobis gratulamur? Erit, qui tantum conſtantiae ineſſe juventuti credat, ut a coeptis eam avertere ſit opus humana majus induſtria? Ignis eſt adoleſcentia. Ignem, ut coercere oportet, ita e rerum natura tollere velle, multum proderet dementiae, neque minus afferret perniciei.

At non modo aetatis inconſultae noxas morte puniri in Abſalone vult Jonadab, ſed ad hoc Patre quoque carnifice abuti. Quaſi vero perlevis momenti eſſet, naturam vincere, oblivіſci ſe Patrem eſſe, amorem ejus ejicere ex animo, qui non tantum Filius ſit, verum iis inſuper dotibus praeditus, ut illius interitu regna, provinciaeque ampliſſima de eo concepta ſpe deſtituantur. —

Dav. [2] Quis paſſibus iſta citatis
Tecta ſubit! Superi! Quid ſi de caede ſuperſtes?
Jonad. Pone metum, Rex! Fauſta feret. Jonath. Niſi lumina fallunt,
Eſt pius Achimaas. Dav. Salvum date, Sidera! Natum!

SCENA III.

ACHIMAAS ET PRIORES.

Dav. Quae ſors? Amice! Vincor, an patriae favet
Jehova cauſſae? Natus an ſalvus mihi?
Eloquere! Ach. Regum praepotens vindex Deus
Hac luce docuit, neminem impune hactenus
Tentaſſe regnum, jura defendit tua,
Fregit rebelles. Cedat ex animo timor!
Vincis, triumphas! Dav. Magne coelorum Arbiter!
Audire ſic te vota Davidis tui!
Credamne, Amice! an ludis? Ach. His oculis ſidem
Habere renuis? Non mihi illuſit ſopor.

2) Conſurgunt.

Polum nigranti nube telorum tegi
Vidi ipſe. Fremitum, qualis irati maris,
Haec auris hauſit. Dav. Natus an proprio ſuos
Animavit ore? Quo tulit Natum fuga?
Tenetur, anne cecidit? Ach. Ut primum ſtetit
Marti paratus miles, exultans equo
Joabus obiit agmina, et: Laetam diem,
Commilitones! inquit: hac veſtram fidem
Probare Patriae, Principi, Coelo datur.
Nec plura. Mox certamen accendunt tubae,
Iturque in hoſtem more torrentis feri,
Quem nimius auxit imber, et docuit caſas,
Armenta, ſilvas, ſaxa violenta ſimul
Trahere ruina. — Dav. Quas mihi ambages refers?
Effare ſortem Filii! Ach. Viſum eſt tibi
Pugnare Coelum. Subitus hoſtiles globos
Invaſit horror. Qua patet, tergum fugae
Dedere celeres. Victor inſequitur tuus,
Tenet, trucidat, calcat, haud fuga hoſtium,
Sed morte ſolitus emere vincendi decus.
Ventum eſt ad atra nemora, qua praeceps viam
Deſcenſus aufert. Hic novum leti genus
Timore caecos excipit. Vaſtos prior
Dum pars hiatus ſpectat, et dubia pedem
Suſpendit, inſtat ultima, et trepido impetu
Miſeros in alti opaca detrudit cavi,
Sequiturque eodem. Socius a ſocio perit,
Tegitur tegitque quilibet. Nequiit ſua
Tenere vallis funera, excrevit ſtrues,
Aequata monti eſt. — Dav. Nunquid ulterius Patrem
Perimes tacendo? Fare, quid Nato accidit?
Levis eſt triumphus, quamdiu Nati necem
Timere poſſum! Ach. Quis ſat invigilet ſibi,
Aliisque, dum non una terrorem incutit
Imago mortis, cuncta dum miſcet furor,

Pavorque? Poſtquam fracta jacuerunt ſolo
Rebellis arma Filii, haud traxi moram
Tibi laeta ferre nuntia, ignarus licet,
An morte poenas dederit, an vitam fugae,
Tuisve Natus debeat. Dav. Noſtrum tamen
Sic auſus es ſubire conſpectum, inſcius?
Acerba Patri nuntia! Incertum eſt adhuc,
An morte poenas dederit, an vitam fugae,
Meisve Natus debeat! Periit miſer!
Quid dubito? periit! Sterile ſolamen mali,
Spes! cede! periit! Jonad. Certa dum conſtent tibi,
Suſpende luctum. Jonath. Juſſa perficient Duces.
Noſti Joabum lynceum imperiis tuis.
Dav. Novi Joabum durum, inexorabilem!

SCENA IV.

CHUSI ET PRIORES.

Deus Iſraelis vivit! Omnipotens manus
Dedit ultionem! Cecidit hoſtilis furor.
Jacent rebelles, impii. Laeta indue,
Rex! ora! Victor miles ex acie redit.
Dav. Et Abſalonis — Chus. Scelera reſpexit Deus.
Sic pereat omnis, qui tibi exitium parat!
Dav. Occubuit ergo? Chus. Occubuit. Dav. Heu miſerum Patrem
Funeſta palma! Natus occubuit necem
Ferro meorum! Quis, quis infandi fuit
Facinoris autor? Chus. Ipſe, ni fallor, Joab.
Sic fama ſparſit. Dav. Ille, cui propria dedi
Mandata voce, Filium ut ſalvum mihi
Praeſtaret? Chus. Hoſtes terga jam dederant fugae,
Cum deſtitutus undique et nudus latus,
Muloque vectus Filius denſum nemus
Laxis habenis peteret. A noſum caput

Tollebat alta quercus, umbrarum potens —
Sed timeo! Dav. Perge, nil time! Augeri amplius,
Qui pectus iſtud lacerat, haud poterit dolor!
Chus. Fluebat humeris longa caeſaries ſuo
Soluta nexu, praeda ludenti Noto;
Haec, dum ſubiret arborem incauto gradu,
Ramis adhaeſit. Voluit inſolita quidem
Exire rurſus vincula; incaſſum tamen!
Tum ſubito mulus terga ſubtraxit ſua,
Miſerumque crine pendulum, infelix onus,
Deſtituit. Oculis iſta ſpectarunt tui,
Memoresque juſſi nemo violentas manus
Injecit; aliquis viſa Praefectis refert.
Statim Joabus plenus irarum advolat,
Ridensque amarum voce ſulminea: Peri,
Rebellis! inquit: ſpiritum inviſum expue!
Mox triplicis haſtae vulnere triplicem viam
Recludit animae. Moritur, et toto rigat
Cruore terram. Foſſa pro tumulo dein
Vicina fuit; huc fertur, hic tectus latet
Sub monte lapidum. Dav. Gelidus hos artus tremor
Pererrat! Animo linquor 3)! ah! Jonath. Quantum poteſt
Amor paternus! Jonad. Tempus exiguum date
Naturae, Amici! Surget aerumnis ſuis
Defunctus animus. Chus. Lingua ad officium redit.
Dav. Abſalo, mi Fili! Fili Abſalo, cura Parentis,
   Et dolor! Ah pro te dent mihi fata mori!
Infelix Genitor! Sic in mea viſcera crudus
   Saevio! Sic thalami pignora dedo neci!
Culpa mea eſt Infans, alienae injuria taedae;
   Quod periit celeri funere, culpa mea eſt!
Culpa mea eſt Amnon! Patris indulgentia fecit;
   Pectore Fratris habet vulnera, culpa mea eſt!

3) Fulcitur.

Abſalo culpa mea eſt! Quod triſti fronde pependit,
  Quodque jacet funus flebile, culpa mea eſt!
His ego tot culpis poſſum ſupereſſe, nec ultro
  Funeribus funus, Prolibus addo Patrem?
Abſalo, mi Fili! Fili Abſalo, cura Parentis,
  Et dolor! Ah pro te dent mihi fata mori!
Ergo jaces! Fugere nives de fronte, roſasque
  De nitidis rapuit mors violenta genis.
Ergo tuus crinis, rutilo flaventior auro,
  Longior, ut dominum perdere poſſet, erat!
Ergo ego te genui, crudelis ut haſta Joabi
  Sedaret, Regis ſanguine pota, ſitim!
Sic Regum mandata vigent, ſic noſtra timentur
  Imperia, hoc ſceptro denique pondus ineſt!
Abſalo, mi Fili! Fili Abſalo, cura Parentis,
  Et dolor! Ah pro te dent mihi fata mori!
Cur non ipſe meas eduxi in bella catervas!
  Ah nimia caecus credulitate fui!
Forte tibi viſo rediiſſent corda Parente;
  Forte adamas nondum, ſaevaque tigris eras.
Incolumis ſaltem me defendente fuiſſes.
  Praevaluit quondam millibus iſta manus.
Noviſſem propriis arcere pericla periclis,
  Proque cruore tuo ſpargere, Nate! meum.
Quin etiam medios iviſſem forte per hoſtes
  Blandus in amplexus, Abſalo Nate! tuos.
Abſalo, mi Fili! Fili Abſalo, cura Parentis,
  Et dolor! Ah pro te dent mihi fata mori!
Tu mea jura quidem, ſceptrumque, thronumque petebas;
  Non tamen hinc tanti ſceptra fuere mihi.
Nil moror hanc vitam pro te, quid ſceptra morarer
  Perdere! Quod Genitor noluit, Aſtra volunt!
Aſtra tuum ſunt ulta nefas, tua crimina, Fili!
  Invito nimis ah officioſa Patri!

Aſtra tuum ſunt ulta nefas, tua crimina, Fili!
Fallor, an errores ſunt magis ulta meos!
Abſalo, mi Fili! Fili Abſalo, cura Parentis,
Et dolor! Ah pro te dent mihi fata mori!

SCENA V.

JOAB ET PRIORES.

Rex! ſceptrum tibi reddo. Tuis victoria ſignis
Adfuit. Occubuit turbarum peſſimus autor
Filius. Abſcedant regali nubila fronte!
Dav. Reddis ſceptra, Joabe! Meis victoria ſignis
Adfuit. Occubuit turbarum peſſimus autor
Filius. — Immanis, temerarie, proditor! iſtas
Oſtentare manus a Nati caede calentes
Patri audes, Regique tuo? Sic noſtra vereris
Imperia? Hoc dedimus ducenti ad praelia juſſum?
Barbare, nec niſi regali ſatiande cruore!
Hoc quoque ſcrutari pectus cupis? En tibi! Merge,
Merge ferox chalybem, Natoque adjunge Parentem!
Joab. Haec mihi, Rex! loqueris, qui te per utrumque ſecutus
Sortis iter, proprio ne fieres victima Nato,
Effeci virtute mea, cui ſceptra, coronam,
Et vitam debes? Sunt haec ſperata laborum
Praemia? Sic cruor effuſus, ſic mille pericla
Conciliant Regem nobis? Quid iniquius! Ergo
Jam ſcelus eſt viciſſe! Placent tibi vulnera noſtra,
Paſceris exitio noſtro, vellesque ſceleſtum
Vivere, nos viles, projecta cadavera campo,
Eſſe feris, avibusque cibum! Dum Patria gaudet
Peſtiferum periiſſe caput, Rex moeret, et urbes
Jam non exitio involvi, camposque carere
Funeribus dolet; incuſat quoque ſaepius Aſtra,
Injuſtasque Dei noxarum vindicis iras!

Quo raperis? David! Quid inani nomine Nati
Duceris? Ah tandem indignos ah pone dolores!
Suſpice juſtitiam Coeli, juſſisque ſupremis
Subde caput! — Dav. Satis eſt! Quo me tua dicta, Joabe!
Pertraxere! Ubi ſum! Quae lux nova! Quis mihi mentem
Perſtringit fulgor! Ach. Quo res evadet? Amici!
Jonad. Coeli arcana videt! Chus. Suſpirat, et alta tuetur!
Dav. Quanta paras portenta, Deus! Me funera Nati
Flere vetas, alium noſtra de ſtirpe daturus
Quantum o disſimilem! Fratrem dedit Abſalo morti;
Ille dabit vitam pro Fratribus. Abſalo Patrem
De ſolio movit; Patris hunc mandata movebunt
De ſolio. Ah Cedron! rurſum calcabere! Rurſum
Montis olivarum lacrimis juga ſumma madebunt
Sanguineis! Sacroſancta dies, mundoque cadenti
Subſidio ventura! Novus dum vindice ligno
Abſalo pendebit, fraternaque debita ſolvet
Ipſe inſons, naevoque carens; dum quinque cruoris,
Non tria decurrent ſitienti flumina terrae!
O vos felices poſt ſecula longa Nepotes,
Quos haec tanta manent! Cuperem producere vitam,
Et ſpectare diem, qua ſummi ad juſſa Parentis
Crimine pro noſtro aeternus cadet hoſtia Natus!
Quanta dies, quantusque Parens, quanta hoſtia Natus!

Digitized by Google

CONCORDIA QUALITATUM.

ARGUMENTUM.

Doctrinam medicam de quatuor Elementis, quae Graeci Στοιχεια, eorum Qualitatibus, quas Ποιοτητας, harumque Temperamento, quod Κρασιν appellant, poſt Hippocratem et Ariſtotelem plurimum illuſtravit Cl. Galenus. Atque hinc Poeta occaſionem arripuit fingendi, ex ejus cerebro natas quatuor Proles, Choleram, Sanguinem, Melancholiam, et Phlegma, quae cum totam Patris domum tumultu, litibusque miſcerent, exoratam ab eo Naturam, omnibus fruſtra tentatis, illas in foedus adegiſſe.

PERSONAE.

GALENUS.	MELANCHOLIA.
CHOLERA.	PHLEGMA.
SANGUIS.	NATURA.

SCENA I.

GALENUS.

Hactenus indulſi Patri, veſanaque Fratrum
Jurgia ſuſtinui. Satis eſt! Stat fixa Galeno
Mens, pacare lares, Sobolemque domare rebellem.
Sic me amet imberbis Phoebus, barbataque Phoebi
Progenies Aeſcu = clariſſimus arte medendi =
Lapius, et fratres Podalirius, atque Machaon!
Sic herbam experiar facilem, ſuccosque faventes!
Sic mihi trux febris, ſic dirus terga det hydrops,
Et chiragra, et podagra, et pleuritis, et aſthma, phthiſisque!
Sic ſint ſalva mihi narthecia cum myrothecis!

Saepe equidem dixi: Tempus dabit his quoque finem.
Tempore diſcordes ponent ſua jurgia Nati;
Tempore miteſcent. Sed ſpe deceptus inani
Tempore Natorum rixas accreſcere cerno,
Alter [1] enim foeta longe truculentior urſa
Nonniſi Tartareas rabido ſtrepit ore ſorores,
Cerbereos rictus, Rhadamanta, Erebique barathrum.
Laeſerit hunc aliquis vel nutu, protinus ardent
Igne oculi, venae inflantur, riget horrida fronte
Caeſaries, artus trepidant, os albida ſpuma
Inficit arenti vix e pulmone coacta.
Nec furor hic fratres tantum petit; omnia diris
Perſequitur. Quoties ſolem, dum forte moleſtis
Inſtaret radiis, ad ſaeva duella popoſcit!
Exiguam quoties muſcam, culicemve rotundum,
Dum ſcaberent pellem, vinclis ſub rupe ligari
Caucaſea optavit, poenamque ſubire Promethei!
Nuper humi fallente gradu prolapſus in iras
Uſque adeo exarſit, miſeros ut verbere multo
Caederet erectus lapides nil tale merentes,
Et gemitus etiam, ſi poſſent, forte daturos.
Dentem alias olidae infixit furioſus alutae,
Dum premeret plantas anguſti calceus oris.
Nec ſatis haec. Alter [2] Narciſſos et Ganymedes,
Et quidquid demum bellum eſt, ſuperare laborat.
Plus hunc ſolicitum criſparum habet ordo comarum,
Diphthera quam poſſit ſua ſolicitare Tonantem.
Se contemplatur, ſe laudat, ſeque beatum
Autumat hoc uno, modo ne ſit pulcrior alter.
Jam nitidos fontes de forma conſulit oris,
Corpore jam proprio projectam examinat umbram;
Nunc ſalit, et crebro rumpit poppyſmate tigna,

1) Cholera.
2) Sanguis.

Nunc hiat in riſum, nunc cantu percutit auras.
Si loquitur, Veneres loquitur, Charitesque, Jocosque,
Orgiaque, et citharas, convivia, ſerta, choreas.
Mobile quid memorem corpus! Potaſſe volucre
Crederet hunc aliquis plenis hydrargyron urnis,
Vertumnove ſatum, ſic geſtus verſus in omnes
Singula mutata ludit momenta figura.
Tertius [3] aſſiduo ſequitur loca ſola, diemque
Odit, et alloquium. Nihil illi afferre quietem,
Nil curas relevare poteſt. Timet omnia; cauſſam,
Cur timeat, neſcit. Jam formidabile ridet,
Jam gemit, atque imo ducit ſuſpiria corde;
Nunc loquitur, medioque tacet ſermone; rubore
Nunc videas ardere genas, nunc pallida buxum
Mentitur facies. Strepitu terretur ab omni,
It, redit, incumbit pluteo, ſurgitque, ſedetque
Neſciûs, et digitis imitatur tympana motis,
Et mordet labia, et multo petit obvia ſputo,
Et repeti ſibi dicta rogat. Quis crederet, illum
Effecere ſenem curae florentibus annis,
Saevaque ſuſpicio! Si dicas: Cornua, ſodes,
Apparent in fronte tibi! non ille feneſtris
Proximus aſſiſtet, timidus, ne frangat. Amice!
Si moneas: vitreum cerno tibi creſcere naſum!
Protinus accerſet fabrum, qui claudere theca
Tam fragilem norit naſum. Si dixeris aegrum,
Continuo lectum petet, et ſibi pharmaca poſcet,
Seque coaxantes Stygis atro in gurgite ranas
Jamjam audire gemet, crudumque videre Charontem.
Sic tribus Anticyris caput inſanabile cunctis
Fabula, ſic propriae ſit victima credulitati.
Ultimus [4] Arctoo ſtupefactus frigore credi

3) Melancholia.
4) Phlegma.

Poſſet, et aſſiduo gelida torpedine paſtus,
Uſque adeo cochlea eſt, cochleisque ignavior ipſis.
Pulvinar patria eſt illi, centoque palaeſtra.
Hic jacet, et craſſis rumpit conclavia rhonchis.
Mallem ego Danaidum pertuſos ferre culullos,
Quam ſic ſtertenti praefractum abrumpere ſomnum;
Nam ſimul ac vigilans ſemel, aut bis circumſpexit,
Rurſum abit in praeceps, et ſtamina coepta reſumit.
Excuſſo ſi forte Deo ſe reddidit orbi,
Illico ſuccenſo vult proximus eſſe camino
Cum ſluidae Cereris ſitula, pinguique polenta.
Si faciem ſpectem, ſub aqua mihi nare videtur;
Nam gemmánt nares, rorant oculique, comaeque,
Os pandum venti, ac imbres impune ſubintrant.
Si mentem intuear, nihil illo Phoebus ab axe
Unquam ſimplicius vidit. Non ille movetur
Magnarum aſpectu rerum, non triſtia triſtis
Audit, non laetis effertur, non ſtupet acres
Ingenii partus, ſalibus non tangitur ullis,
Nec laudis ſentit ſtimulos, immobilis, idem,
Dum dormire queat cum gliribus Apennini.
Haec mihi progenies, hi, Patris gaudia, Nati
Omnia diſſidiis miſcent, longoque tumultu
Nec vis ulla poteſt fraternas jungere dextras!
Aſt merui nempe incautus, par eſſe Tonanti
Qui volui, cerebroque etiam progignere foetum.
Debueram meminiſſe tuae, Salmonee! poenae.
Sed quorſum queſtus! Tarda eſt ſapientia, factum
Quae ſequitur. Pacem nequeo componere. Natos
Nolo mea jugulare manu. Quid reſtat? Adeſſe
Sola mihi Natura poteſt. Huic vulnera pandam;
Haec feret auxilium, haec Natos conjunget amico
Foedere. Naturam ſtat fixum accedere! — At ipſa
Ecce ſubit!

SCENA II.

GALENUS. NATURA.

Divina Parens, foecunda Creatrix
Sidereae molis, pendentis in aere terrae,
Immenſique maris, cujus mandata veretur,
Quidquid conſpicio! ſupplex jacet ecce Galenus
Ante tuos, Natura! pedes, caſuque ſiniſtro
Percuſſus depoſcit opem! Nat. Scis ipſe, Galene!
Quam fuerim ſtudiis ſemper amica tuis.
Te duce gens hominum noſtras cognoſcere vires
Coepit, et advertit numen ineſſe mihi.
Hinc volui tibi prae reliquis arcana patere,
Hinc bene nota animo ſunt mea regna tuo.
Nunc etiam, quam me tangant tua vota, videbis.
Quod petis, adjuro, Styx! tua ſtagna! dabo.
Eloquere! Gal. Hippocratis nuper monumenta revolvens
Dum varios hominum motus, diverſaque penſo
Defixus ſtudia, ecce tibi! caput occupat horror,
Tenduntur ſubito nervi, cerebrumque tumeſcit
Mole peregrina. Tunc mecum: Jupiter olim
De cerebro peperit; num me quoque ſors manet iſta?
Fauſta veni, Lucina! Simul de verticis imo
Proſiliunt Juvenes quatuor, Patremque ſalutant,
An Matrem potius? Sed quam diverſa propago!
Non magis Armati, quos natus Agenore ſparſis
Dentibus eduxit terra, vix lumine viſo
Mutua ſpirabant odia. Illico clamor, et ira,
Et tetrici vultus. Quid enim? Quod diſp licet illi,
Huic placet. Hic negat, alter ait. Mens omnibus una eſt,
Ingenio parere ſuo. Nihil artibus actum eſt.
Incaſſum cecidere minae, promiſſa, precesque.
Tu ſpes ſola mihi. Quod poſſis, cuncta loquuntur,
Utque velis, peto. Diva! tuo ſuccurre Galeno!

Concilia Sobolem implacidam, importunaque tolle
Jurgia! Nat. Digna petis. Dabimus. Non ante lavabit
Heſperio feſſos gurgite Phoebus equos,
Quam male conjunctis ſua fratribus excidat ira,
Atque tuum repetat limem amica quies.
Alloquar, et blandis tangam fera pectora verbis.
Saepe levis Zephyrus nubila bruta fugat.
Sin magis obſirment animos, extrema minabor.
Sunt mihi, queis cedant, altera tela, timor.
Nunc igitur prodire jube! Sed agenda viritim
Res mihi, ne poſſit litibus eſſe locus.
Gal. Huc Natorum aliquis [5]! — Quid ſit? Prodibitis, an non?

SCENA III.

CHOLERA ET PRIORES.

Quae te Megaera ſtimulat, inſipiens Senex!
Blax, Bucco, Stentor! totam ut evertas domum
Incondito clamore? Num ſurdos putas,
Te praeter, omnes? Nunc, niſi nomen Patris
Molliret animum, dextera arreptum manu
Trans Caucaſi praerupta jacularer juga!
Gal. Ut placet hoc cerebri tibi pignus amabile noſtri?
Nat. Non alios oculos, oraque Bilis habet.
Chol. Cunctaris etiam dicere, alloquio meo
Tibi quid ſit opus? Ut iſtud ego ſtultum genus
In ima Ditis antra detruſum velim!
Vocant, vocandi nulla dum ratio ſubeſt!
Gal. Hanc tu, Nate! Deam ritu venerare decenti,
Divinisque para dociles ſermonibus aures.
Chol. [6] Fatalis affer! ſic pedem incurſas mihi?

5) Inclamat Scenae.
6) Salutaturus pedem ſtrato impingit.

Infame lignum, digna Vulcano hoſtia!
Quis te dolere doceat, ut noſtrum queas
Sentire ferrum? Scilicet in iſtud caput
Conjurat orbis! Laedor, offendor palam,
Nec timeor! Abſit, haec ut ulterius feram!
Miſcebo cuncta! Mundus incumbet tibi!
Mundi ruinis victor imponam pedem!
Nat. Pone feros animos, nec inanes percute ventos!
Nil, tua quod metuat fulmina, mundus habet.
Fulminibus cadis ipſe tuis, tibi maximus hoſtis.
Artificem repetunt te tua tela ſuum.
Quin potius moderare animo, moderare furori,
Et noli ſaevis ſaevior eſſe feris.
Chol. Ut nempe patiar, quidquid inſanis placet
In me jocari? Ut aſpera immotus feram,
Moleſta tacitus devorem? Haud aequum puto.
Suadere vappis iſta, vel lepori potes!
Nat. Falleris! Haec fatuam dementat opinio plebem.
Adverſis laedi pectora noſtra putat.
Laedimur, atque oculis inquirimus undique cauſſam;
Cauſſa tamen cerni non niſi mente poteſt.
Laedimur a nobis. Animus ſine compede, motus
Indomiti noſtri ſunt caput omne mali.
Hos igitur motus rationis comprime freno;
Aſpera nulla dein, nulla moleſta gemes.
Chol. Placita Sophorum tu mihi incaſſum occinis.
Facilia dictu multa ſunt factu ardua!
Nat. Ergo perpetuus vos fratres rancor habebit,
Et feret imperium jurgia veſtra meum?
Chol. Quanquam tumultu, lite, vulneribus, nece,
Iraque paſcar; haud tamen pacem abnuo,
Modo rata habere pauca, quae dicam, velis.
Nat. Dic! Chol. Nemo faciat, quidquid adverſum meo
Cognoſcet animo. Nemo ſe opponat mihi.
Taceat tacere juſſus, et juſſus loqui

Loquatur. Omne cedat ad votum mihi
Negotium. Abſit omnis a membris dolor,
A mente, ſtimulos quidquid irarum ciet.
Quod volo, velint; ſed quod peto, nemo petat.
Haec ſic futura, ſi tuam dederis fidem,
Arma haud gravate pono, do victas manus.
NAT. Vota inſana! Moram perfer. Cognoſcere Fratrum
Ingenium, mores, atque petita placet.
Tunc reſponſa feres. — Alium mihi ſiſte, Galene!
GAL. En ſubit.

SCENA IV.

SANGUIS ET PRIORES.

GAL. Hanc, Fili! prono cole poplite Divam!
CHOL. 7) Quaenam iſta Diva! Vim mihi occultam facit!
SANG. Diva, cui formam ſoror invidet ipſa Tonantis!
Seu Venus es, ſeu blanda Charis, ſeu major utraque!
Dic mihi, quos flores in olentia foedera mittit
Iliacus Pincerna, Jovi dum ſerta parantur?
Quo ritu celebrant Superi convivia? Nectar
Quo bibitur cyatho? Quo pulcer dormit in antro
Endymion? Quae prata ſuis ornare choreis
Turba ſolet Dryadum Satyris mulcentibus auras? —
CHOL. Ubi betularum larga ſuccreſcit ſeges,
Huic mollicello picta queis rubeat cutis?
NAT. Pone modum linguae! SANG. Nihil eſt. Dicteria flocci
Pendere conſuevi! Sed cur, mea Diva! beatas
Liquiſti Superum ſedes, ſtellataque templa?
Nunquid, ut hinc tecum Divis miſcendus abirem
In tepidi myrteta Paphi, quo nulla ſenectus
Munera vernantis corrumpere docta juventae
Languentes inſert greſſus, ubi gaudia mille,

7) Seorſim.

Baſia, nequitiae, riſus, ſaltusque, jocique,
Carminaque, et centum repetita e collibus Eccho?
Quis mihi tunc ſenſus! Quis me tunc laetitiae fons
Obruet! Ut totis diſcam gaudere medullis!
Ut bis io, ter io, Charites, Nymphaeque! ſonabo!
Jam videor per prata choros mihi ducere [8] — Nat. Siſte!
   Non ſatis adventus cognita cauſſa mei eſt.
Aſpera vos fertur diſcordia ſcindere Fratres,
   Et turbata diu pace carere domus.
Subſidium latura meo pro munere veni,
   Et refugas Fratrum jungere certa manus.
Sang. Quanquam ego ſim facilis, cunctisque placere peroptem,
Quanquam animus ſine felle mihi, ſine acumine lingua,
Quis tamen hos videat mores immotus, et iſta
Verba ſupercilio non audiat indignante?
Dum ciet hic furias, muris immurmurat alter,
Tertius extentus ſponda pando oſcitat ore.
Chol. Quis non ciebit Tartara, Furiarum faces,
Qui ſemper oculis habeat objectum ſuis
Effeminatum, ſexus immemorem ſui,
Stolaque dignum? Bile quis placida queat
Audire querulum, dum levis faciem tumor
In puſtulam ſubvexit, aut decies die
Una lavantem cernat, aut tota ferat
Syria madentem? Quid, quod a ſpeculo pedem
Nunquam retorquet? Quid, quod evadit ſenex
Seſe induendo? Quis iſta cordatus probet!
Nat. [9] Quae tibi mens igitur? Quis amor tibi pacis? An horres
   Foedera? Dic genii jam mihi vota tui.
Sang. Haec genii ſunt vota mei: Laetiſſima vita,
Vultus forma decens, et corpus luſibus aptum.
Nunquam pallidulae febres, et curva ſenectus
In me jus habeant. Nunquam fortuna minetur

8) Saltare incipit.
9) Sanguini.

Ulla clade mihi. Placeam, dilauder, amerque.
Nunquam me capiant hilaris faſtidia ſaltus.
Nunquam diſpliceant citharae, convivia, cantus.
Sint etiam ſocii, ſed neſcia fallere turba,
Quos mihi par aetas, ſtudium par, parque voluntas
Jungat. Veſtitus ſit ſemper copia dives.
Haec mihi ſi dentur, non eſt, quod amica recuſem
Foedera, quod nolim placatis Fratribus uti.
CHOL. Haec te rogare, caece! nec — NAT. Vocem preme
Non eſt, quod cupias, aliud [10]? SANG. Satis iſta beatum
Me facient. NAT. Aliquam nunc mihi cede moram.
SANG. Cedo lubens. NAT. Reliquos Fratres audire neceſſe eſt.
Ex geminis unum ſiſte, Galene! mihi!
GAL. Obſequor [11]. SANG. [12] Ut mentem mihi ſpes laetiſſima mulcet!
Quae tamen haec Dea ſit —

SCENA V.

MELANCHOLIA ET PRIORES.

GAL. Prodi, ſtultiſſime! prodi!
Nil eſt, quod metuas. MEL. [13] Nequeo, nam ſomnia terrent!
Viſa mihi eſt tenui cuſpide vena fodi.
Fors erit hic, tenui fodiat qui cuſpide venam.
CHOL. Qui latera fodiat ulmeo ſtimulo tibi,
Paratus adſtat, ni gradum ſubito inferas!
SANG. Indue laetitiam! GAL. Praeſens hoc Numen adora!
MEL. Forſitan hoc Numen Parca eſt [14]! Fors fila ſecabit! —
Hei mihi, forſiculas jam crepuiſſe puto!

10) Sanguini.
11) Recedit.
12) Seorſim.
13) Aegre protrahitur.
14) Seorſim.

Digitized by Google

Nat. Cur fugis hos vultus? Quid te pavor occupat? Horres?
  Lurida triſtitiae nubila fronte foves?
Mel. [15] Huic quoque jam videor triſtis! Jam comperit! Actum eſt!
  Nat. Deſine! Tuta vides omnia. Fauſta fero.
Mecum pax, ſincerus amor, concordia dulcis
  Advenit a veſtra non bene pulſa domo.
Haec cupit iratos in foedera mittere Fratres.
  Omnis ab his rebus cauſſa timoris abeſt.
Tu modo pande mihi, quid ſit, quod jurgia malis,
  Quam fortunatae foedus amicitiae.
Mel. Quid malim, ne quaere, mihi dum ſordet utrumque!
  Non ego diſſidiis, non ego pace juvor.
Diſplicet haec mihi lux. Cerebro me reddite Patris,
  Aut facite, ut liceat me procul eſſe mihi!
Chol. Stulta petita — Nat. Tace! Mel. Quoties mihi ſica petita eſt,
  Aut obſtringendae cannabis apta gulae!
In puteos quoties mihi mens fuit ire profundos!
  Dum tamen incipio proximus eſſe, tremo.
Sic igitur vitamque miſer, mortemque peroſus
  Vivo, ſed vitae neſcius ipſe meae.
Non magis Enceladum vaſtis premit Aetna ruinis,
  Quam mea ſub nimia pectora mole gemunt.
Nunc Phaetonteo mihi membra cremantur ab igne,
  Frigore Sarmatico nunc ſtupefacta rigent.
Hinc aliquis cauſſam ſi quaerat: Neſcio! dicam:
  Neſcio; torqueri me tamen uſque ſcio.
Non locus has minuit poenas, non tempus. Ubique,
  Quanquam ſaepe latens pectore, tortor adeſt.
Attamen e cunctis hominum praeſentia poenis
  Maxima me miris ſcit cruciare modis. —
Chol. Quando ergo telam, Ardelio! pertexes tuam?
Sang. [16] Quin potius mecum rides! Nat. Compeſcite linguas!
  Perge! Feres tantis pharmaca promta malis.

15) Seorſim.
16) Melancholiae.

Mel. Pharmaca? Non ſido. Naturam pharmaca frangunt,
Sumtaque parte abeunt corpore, parte manent.
Nat. Non ego, quae noſtis Mortales, pharmaca dixi.
Pharmaca, pone metum, nil nocitura dabo.
Perge igitur! Mel. Cunctis vivo exoſiſſimus. Omnes
Interitum ſitiunt, percupiuntque meum.
Hamus in aſſato teſtis mihi piſce repertus,
Teſtis muſca meo viſa natare ſcypho,
Teſtis acus noto per fraudem infixa ſedili,
Quasque alias centum mors habet atra vias.
Inſuper et de me fora, compita, tecta loquuntur.
Vulgus in hac facie lumina fixa tenet.
His ego qua jungi poſſim ratione, doceto,
Ni quoque cum reliquis tu mea fata velis.
Nat. Ergo placet totam rixis conſumere vitam,
Nec poterit Frater Fratris amore capi?
Mel. Fratris amore capi? Non eſt mihi dirior hoſtis!
Cernis, ut huc oculos vibret uterque ſuos?
Ille importunis ſequitur mea facta cachinnis;
Hic mihi vult motum ſedibus eſſe caput.
Nat. Nullo igitur pretio poſſunt tibi pacta placere?
An ſupereſſe mihi nil opis ergo putas?
Mel. Aut hominum muta mores, aut me mihi tolle,
Si mihi, quae memoras, pacta placere cupis.
Donec erunt oculi, linguae, nutusque loquaces,
Donec ero, qui ſum, non mihi pacta placent.
Nat. Atque haec certa manent animo? Mel. Certiſſima prorſus!
Nat. [17] Nunc igitur quartum promtus adeſſe jube!
Gal. [18] Ocyus huc adſis, Fili! — Quae cauſſa morandi?
Chol. Ego ſomnolentum protraham glirem ſuo,
Si linitis, antro. Gal. Siſte! Jam gradum admovet.

17) Galeno.
18) Scenae inclamans.

SCENA VI.

PHLEGMA ET PRIORES.

Equidem ille Diis advorſus ſurrexit hodie,
Qui nunc excitando eradicavit me penitus.
Uſque adeo Morpheus me habuit liberaliter;
Nam per mare madidum, ita dico, madidum
Delphinum inequitare tergoribus ſum viſus mihi. —
Chol. Utinam phaſelus iſte naufragium — Nat. Sile!
Mitte [19] leves ſomni luſus! Non haec mihi cura,
  Queis te decipiat Somnus imaginibus.
Seria res agitur. Fratrum componere veni
  Jurgia, ſat veſtro jam tolerata Patri.
Phleg. Quamquam nulla ego nunc incedo iratus iracundia,
Quid tamen his me toties excitatio eſt?
Quid ille ſaevidictis, et truciverbiis,
Quid hic cachinnis, cantu, et pediludio,
Quid iſte demum ſemper ſcopando gutturem
Morphei legatos ſuo extrudunt hoſpitio?
Sacrilegum mehercle mortalium genus,
Qui ſomnum, munus Deorum ſacerrimum,
Tramis putridis aequiparant, et caſſae nuci!
Praeterea, quid illis mens in fermento eſt perpetim?
Gaudent, amant, excandent, gemunt ilicet,
Ubi operae mihi non eſſe videtur pretium.
Nat. His ego diffidiis quanam ratione medebor?
  Quaenam erit aerumnis apta medela tuis?
Phleg. Principio lex haec fertor a te praeſentibus:
Strepitum edituri domo prodeundum ſciant.
Altum domi ſit ſemper conticinium.
Malleotribae poſtidea cum gallis gallinaceis,
Quos ego odi male, hac abſint vicinia.

19) Phlegmati.

Demum papaver fructu proveniat uberi.
Praeter haec, ſi cauſſa mea monueris anſeres,
Ne unquam novitatis inducti ſtudio
Squamas ſibi velint eſſe pro plumis, aut pilos,
A me non exiguam iniſſe te ſcito gratiam.
NAT. Terrigenas rurſum video rediiſſe Gigantes,
Et ſtolidis votis aſtra, Deosque peti.
Fratribus his quatuor totus non ſufficit orbis,
Quanquam cuncta ſuo continet ille ſinu.
Quod cupit hic, fugit hic; placet huic, quod diſplicet illi.
Iſte ait, ille negat; ridet hic, ille gemit.
Quae rerum facies, ſi veſtra petita ſecundem!
Vultis in antiquum cuncta redire Chaos?
Si tu vota feras, jam terra cruore madebit,
Ludus erit pietas, nomen inane fides.
Jus erit in gladio, viduabit regna Tyrannis,
Indigenisque carens vaſta jacebit humus.
Si tibi ſim' facilis, quis erit, qui ſeria tractet?
Omnia corrumpent otia, luxus, amor.
Ganea mundus erit, molleſcent corda, feretur
A bene curata gloria ſumma cute.
Huic ego ſi faveam, ne ſim prolixa, ferendo
Helleboro tellus non erit una ſatis.
Denique, de cunctis ſi mens inclinet in iſtum,
Omnia perpetua nocte ſepulta volet.
Vileſcent virtus, laus, patrum exempla, dabitque
Tunc Cunctatores plumea Roma novos.
Quis ferat haec portenta! Deum prius exigar aula,
Quam patiar regno talia monſtra meo!
Quilibet hinc aliquam votorum demite partem;
Sic dabitur reliqua tempus in omne frui. —
Quid ſedet? An placet hac vobis ratione paciſci?
Tenditis inſuetas ad pia vincla manus?
CHOL. [20] Si frangat iſte propria ſpeculum manu.

20) Quem quivis hic deinceps deſignet, patet e dictis.

Phleg. Si ſuo hic mihi clamore aureis non arietet.
Sang. Si veſtem hic ſcopet plumis, floccisque refertam.
Mel. Si de me poſthac cogitet ille nihil.
Chol. Si diſcat uno ſtare hic immotus loco.
Sang. Si fluidas muco nares ſibi terſerit iſte.
Mel. Si gaudere mea deſinat ille nece.
Phleg. Si cavillos hic tandem auferat et convitia.
Chol. Si — Nat. Satis eſt! Stolidas blandis occluditis aures,
Nec ratione regi pectora veſtra volunt!
Exitiale genus! tumidi, mala germina, Fratres!
Vultis, ut in veſtrum ſaeviat ira caput?
Saeviet! Ante tamen noſtras horreſcite vires,
Quaeque ego ſim, veſtra diſcite clade prius!
Illa ego ſum celebres inter celeberrima Divas,
Illa ego ſum magni dextera magna Jovis.
Quae tellus, quae pontus habet, quae lucida monſtrant
Sidera, virtutis ſunt opus illa meae.
Per me cantat avis, piſcis natat, ignis adurit,
Herba viret, currunt flumina, vivit homo.
Hinc Populis Natura vocor, quia, quidquid ubique
Naſcitur, id per me naſcitur, atque viget.
Utque viget per me, ſic me ſtatuente perire
Cogitur, inque prius mox remeare Chaos.
Hinc niſi jungatis concordes illico dextras,
Poena reos nunquam ſuffugienda manet.
Ibitis in nihilum, ſero documenta nepoti,
Quam mea ſint rupta juſſa ſequenda mora.
Phleg. Papae, ut mihi prae metu cor facit artem ludicram!
Nat. Jungitis? An — Sang. Quid, care Pater! quid denique reſtat?
Gal. Divae juſſa ſequi. Sang. Viridi modo parce juventae,
Diva! ſequar! Mel. Socium me quoque jungo tibi.
Phleg. Abaxint Dei litcis! Totus foederaturio.
Nat. Teue igitur credam mea tela laceſſere ſolum?
Chol. Me credis? Anceps animus — aſt — pacem volo!
Gal. Laus Superis! Nat. Jam verba manu firmate fideli!

Digitized by Google

Porrige tu [21] dextram Fratri! Tibi laeva — Quid haeres?
　Quae mora? Mel. Gemmantes fors habet ille manus!
Nat. Stultos pelle metus! — Fratris tibi laeva petenda eſt.
　Haec mecum Superi vincula fauſta velint!
Chol. Quod mihi per venas modo frigus amabile ſerpit!
Quo fugit ille ferox animus! Peregrina voluptas
Nil ſolitae feritatis habens haec pectora mulcet.
Sang. Quis mihi me rapuit? Qua me gravitate teneri
Sentio! Quo nugae, quo vani cura decori,
Atque leves abiere joci? Phleg. Quae frigida membra
Flamma ignota ſubit! Quis me replet ardor honorus!
Quae nova lux oculos afflat! Mel. Quo dira receſſit
Suſpicio, vanique metus! Quis libera fecit
Pondere corda ſuo? Jam, quid ſint gaudia, noſſe
Incipio, et faciles in riſus ora movere.
Nat. En tibi compoſitos poſt jurgia longa penates,
　Et Sobolis foedus cerne, Galene! tuae.
Perge meum poſthac Numen quoque rite vereri,
　Sic adero votis ſemper amica tuis.
Gal. Quis dignas tibi, Diva! queat perſolvere grates!
　　Dum diem condet, referetque Phoebus,
　　Dum vices anno quatuor recurrent,
　　Dumque Neptuni metuent tridentem
　　　　Aequoris undae,
　　Redditam ſciſſae Domui quietem,
　　Redditam dulci Sobolem quieti
　　Gratus agnoſcet, meritaque tollet
　　　　Laude Galenus.

21) Ad Sanguinem. Hic igitur Cholerae, et deinceps Melancholia Sanguinis, Phlegma Melancholiae laevam apprehendit, tenetque.

OTIUM PASTORUM.

ARGUMENTUM.

Chriſtophorum Migatium S. R. I. Principem, Archiepiſcopum Vindob. anno MDCCLXI. quo tempore Collegium Thereſianum a Diva Principe ejus tutelae commendatum erat, Vaticana Purpura decoratum ſub nomine Meliboei celebrant Paſtores.

PERSONAE.

DAPHNIS.	CORYDON.
ALEXIS.	MENALCAS.

PARS PRIOR.

DAPHNIS. ALEXIS. CORYDON.

Hae poterunt umbrae rapidos defendere ſoles,
Hae poterunt, Socii! Nihil eſt optatius umbris,
Dum Canis aeſtiferis urget latratibus agros.
Hac modo ſub quercu conſiſtite. Frigora Fauno
Querna placent. Quercus Dryadum conſortia ſpectat.
Cernitis, ut ſegnes inter dumeta capellae
Procubuere. Silent aurae. Silet abdita ramis
Gens volucrum. Solis reſonant arbuſta cicadis.
Ipſe Pater muſcoſa Iſter ſeceſſit in antra,
Nec ſinit undivagas per caerula ludere Natas.
Nos quoque fronde ſub hac frigus captemus opacum,
Dum caput auricomum patriis ſol montibus abdat.
Thyrſis ſervat oves, et ſervat Silvia capras

Digitized by Google

Interea. Thyrſis meus eſt, mea Silvia. Thyrſis
Laeve pedum debet, debet mihi Silvia zonam,
Qualem Vindobona [1] nuper ſecum attulit Alcon,
Vindobona, patrias quae ſic ſuper eminet urbes,
Ut talpae exiguum ſuperat mea villa cubile.
Al. Qua tamen arte doces longum nos fallere tempus?
Quandoquidem minimas nunc Phoebus projicit umbras,
Et medio primum axe nitet. Compacta cicutis
Fiſtula nulla mihi, nec carmina mente tenere
Condidici, quamquam Dorylas me ſaepe monebat:
Diſce animo juvenis committere multa tenaci,
Quae poſt argutis referas ex ordine ſilvis!
Eſt ſua mens nemori, rupesque audire feruntur.
Otia ſic fugies, nec tempora tarda quereris.
Cor. Haec eadem mihi mens. Dic, o dic, optime Daphni!
Qua potius ratione graves relevabimus horas?
Quis male ſtridenti ſemper terat ora cicuta?
Quis lento calathos ſemper de vimine texat?
Quis ſemper jactet reſonis Amaryllida ſilvis?
Omnia tempus habent. Dic, o dic, optime Daphni —
Daph. Ergo nihil, niſi dicere, opus? Tu denique credis
Momenti levis eſſe aliquem proponere luſum,
Qui queat innocuus, laetusque, novusque vocari?
Al. Hactenus incaſſum cerebrum pertundo, fibrasque,
Ut luſum extundam innocuum, laetumque, novumque.
Cor. Quisque ſuos promat ſenſus. Foret optimus ille —
Al. Deſine! Jam ſubit! Iuveni! Nil laetius illo —
Cor. Quin aperis! Al. Fingamus, uti — non! non placet. Illud
Praeplacet — Daph. Eloquere! Al. At rurſum res exigit iſta
Mille moras. — Aliam teneo, quae accommoda nobis,
Innocua, ingenioſa ſimul, facilisque futura eſt.
Cor. Laus Superis! Daph. Et erit? Al. Nil, nil valet! Cor. Attamen illa

1) Novit Poeta *Vindobonam*, quae Cl. Ptolemaeo 'Οὐϊνδόβωνα eſt, ſyllaba tertia producta dicendam; hinc licentiam pudenter ſumtam lege metri excuſat.

Innocua, ingenioſa ſimul, facilisque futura eſt?
Daph. Attamen, ut dicis, foret illa accommoda nobis?
Al. Attamen eſt aliud dignarum inventio rerum,
Quam mixtum pueris equitare in arundine longa!
Cor. Quidnam igitur? — Liceat vobis mea pandere ſenſa!
Daph. Pande, precor, Corydon! Al. Tripodem dare verba putabo.
Cor. Conſtructum arboribus locus exhibet iſte theatrum.
Provida ſic voluit nobis natura placere.
Quin agite, aut tragicum plantis aptate cothurnum,
Aut ſoccos aptate leves. Paſtoribus iſta
Conveniunt. Hominum procul a contage remoti
Poſſumus, ut libet, humanos inducere mores.
Al. Conſilium placet. Aſt — Cor. Quid rurſum occurrit? Alexi!
Al. Sumere materiam quam ſuades? Cor. Sumite, qualem
Fert animus. — Mihi grande Sophos, illuſtria facta,
Heroumque placent ſenſus. Daph. Quis talia paſtor
Exprimat, a patrio qui vix diſceſſit agello?
An tu forſan oves Heroas credis, et hircos?
Forſan, ab his nomen quia prima Tragoedia ſumſit [2],
Te tragico cenſes incedere poſſe cothurno?
Cor. Mitte jocos, et, quae placeat tibi ſcena, profare!
Daph. Me lepor Atellae [3], pulmoni nata movendo
Dicta tenent, et ridiculo Comoedia Mimo.
Al. Daphni! accedo tibi. Quantum querceta myricas
Exuperant, tantum ſocias Comoedia vincit.
Cor. Ludere dum voluit, quoties Comoedia viſa eſt
Laedere! Novi animos hominum. Velut ulcera ventum,
Tranſeat innocuus quamvis, letaliter horrent.
Al. Parcite jam, Socii! Niſi parcitis, Heſperus umbras
Advehet, et paſtas pecudes ad flumen agemus.
Cor. Incipe, Daphni! prior! Nos Daphnin, Alexi! ſequemur.
Daph. Scilicet Heroes vili concedere Mimo

2) Τραγωδια a Τραγος *Hircus*, qui cantantibus praemio proponebatur.
3) Campaniae oppidum a Fabulis ſcenicis olim celebre.

Prima ſolent? Praeſtat callem tentare cothurnis.
Nos ſoccos induta humiles te turba ſequemur.
Cor. Quandoquidem ſedet hoc, animos advertite! Noſtis,
Sacrorum Antiſtes ſummus, Superumque Miniſter
Quo ſibi commiſſos populos Meliboeus amore,
Qua cura foveat. Vidi, vidiſtis et ipſi
Saepius, ut poſita ſe majeſtate benignum
Praebeat agricolis, ut leges ipſe colendi
Numinis inſtillet tenerae per rura juventae,
Per pagos veterem ut delubris reddat honorem,
Utque etiam veniens curas protendat in aevum.
Vitiferos montes, et te, Vicinia! teſtor;
Auſpiciis etenim Meliboei ſurgere in altum
Cernitis, et late candorem oſtendere Tecta,
Tecta ſacris curis Juvenum miſſura maniplos 4).
Ipſe hortator adeſt. Quoties mea vox fuit iſta:
Creſce, Domus! tecum Meliboei gloria creſcit.
Nunc igitur Patriae perſonam indutus ob iſta
Conabor meritas Meliboeo pendere grates.
Fingite Matronae ſpeciem mihi, cyclada, pallam,
Turritum caput, et crines per colla fluentes. —
Finxiſtis? Tacitas jam nunc advertite mentes!
Rector polorum maxime, et mundi Arbiter,
Qui ſemper imo corde deſcriptam Auſtriae
Geris ſalutem! quas tibi grates feram!
En qualis aras munere indultus tuo
Supremus ornat Myſta! Quam legum ſciens,
Et amans tuarum! Quam tuo addictus gregi!
Meliboee! tua quis geſta pro meritis canat!
Quis praemietur! Quando jam reſtat nihil,
Niſi purpuratos inter ut clarum Patres
Te Roma numeret. Veniat, o veniat dies —

4) Moliebatur tunc Praeſul in Oppido Medlingano ſacrorum Curionum Seminarium.

PARS POSTERIOR.

MENALCAS ET PRIORES.

Quid facitis? Socii! Cur vos habet avia ſilva?
Ô Socii, non exigui mihi cauſſa laboris!
Quos ego, dum nimio tellus ſub ſole fatiſcit,
Per nemora, et montes, et paſcua nota requiro
Nunc etiam ſiccis arent mihi faucibus ora,
Et niſi me Thyrſis, ſociataque Silvia Thyrſi
Huc juſſiſſet iter, celeresque intendere curſus,
Viribus exhauſtis aliqua ſub fronde jacerem.
Al. Quidnam igitur dicam, quod nos tibi, care Menalca!
Simus cauſſa viae? Melius tua detege ſenſa!
Men. Nempe ego vos neſcire putem mea ſenſa? Sodales!
Vos lateant ſolos hodiernae inſignia lucis?
Hic totus dum gaudet ager, dum proxima plauſu
Vindobona exultat, dum laeti litus ad Iſtri
Cuncta ſonant Nymphis, tiliae dum multus in umbra
Inſtaurat ſaltus notae ad modulamen avenae
Myrtillus, Dorylas, Damoetas, Tityrus, Alcon,
Dum fuſi celebrant convivia mixta per herbam,
Et ſiccant cyathos ſua Bacchum ad dona vocantes,
Certatimque novis magalia floribus ornant,
Ipſas dum pecudes tangit jucunda diei
Relligio, dum ludit ovis, dum ludicra tentant
Antiquis odiis poſitis certamina capri,
Quid veniam, quae cauſſa viae mihi, quaeris? Alexi!
Daph. Saltem pande, precor, quae tantae cauſſa, Menalca
Laetitiae! Nam nos, dum nondum pingeret ortum
Prima dies, pecudes ſtabulis laxavimus omnes,
Nec quiſquam interea villam, Sociosve reviſit.
Men. Ille dies ſubiit toto laetiſſimus anno,
Laetior an pecori, dubites, pecorisve magiſtris,
Et pecori laetus, laetus pecorisque magiſtris,

Ille dies ſubiit, quo magnae ad vota Thereſae,
Qui Vaticanae pro Numine praeſidet Arci,
Auguſtum meritis Meliboei detulit oſtrum,
Quem felix partu coelo vicina Tyrolis
Heroum de ſtirpe dedit, quem blanda Minerva
Vix natum excepit gremio, duxitque per artes
Obſequii ſecura ſui, quem maxima Roma
Cuncta humana ſuper generoſa mente levatum
Vidit inacceſſi ſpeculari arcana Tonantis,
Et Patriae tandem quamvis invita remiſit;
Quem Carpetani [5] dominae mandata Thereſae
Orantem ſtupuere, et plauſu excepit Iberus,
Inclita quem virtus mox Vindobonenſibus aris
Admovit, juſſitque ſacrae decus addere Mitrae;
Denique quem ſequimur, cujus gaudemus in umbra,
Quiſquis in his teneros obſervat montibus agnos,
Hic nunc purpureo graditur ſublimis honore,
Romuleosque auget Proceres, ſanctumque Senatum!
Daph. Qua nos laetitia cumulas! Quae ſplendida narras
Quam juſtas recitas laudes, dilecte Menalca!
Haec eſt illa Viri ſummi palmaris imago!
Haec ſibi promeruit celebris praeconia virtus,
Praecipue favor ille, ſuos quo ſtringit alumnos,
Quo mavult Domini pro nomine nomina Patris,
Quo ſibi paſtorum in longum devincit amores!
O Corydon, Corydon! deinceps mihi magnus Apollo
Semper eris. Divina fuit tua ſcena futuri.
Quam ſuſpirabas, lucem jam cernis adeſſe.
Al. Neſcio, quae noſtros tam pinguis inertia ſenſus
Attinuit, Socii! Si mens non laeva fuiſſet,
Solis in exortu potuiſſem diſcere cuncta.
Non ille aequoreis hodie caput extulit undis,
Ut ſolet, hoſpitii memor, et ſemiexperrectus;

5) Madritenſes.

Sed veluti feſti pompam cumulare diei
Quaereret, inſolito comtus ſplendore refulſit.
Cor. Quod ſupereſt, ſaltem Meliboeo vota feramus.
Vota placent Superis, Meliboeo vota placebunt.
Vota ferat placidas Meliboei ventus ad aures!
Men. Paſcua noſtra regit Meliboeus. Dum reget illa,
Elyſios etiam ſuperabunt paſcua campos.
Al. Auſtria te, Meliboee! tenet. Dum te illa tenebit,
Auſtria felices inter numerabitur oras.
Daph. Vindobona en colitur Meliboeo. Dum illa coletur,
Vindobona eximiis ex urbibus una feretur.
Cor. Nos Meliboeus amat. Dum nos Meliboeus amabit,
Paſtores erimus prae regum ſorte beati.
Men. Feſta mihi lux eſt hodie. Date maſcula tura!
Purpureis virides intexite floribus aras!
Haec cultus, Meliboee! tuus ſibi munera poſcit.
Al. Feſta mihi lux eſt hodie. Procul eſte, Profani!
Si quis adeſſe volet facienti, candidus adſit!
Hunc tuus exoptat genius, Meliboee! colorem.
Daph. Feſta mihi lux eſt hodie. Fer mollia liba!
Agnellus tenero ſpargat mihi ſanguine flammas!
His tua ſacretur, Meliboee! evectio donis.
Cor. Feſta mihi lux eſt hodie. Procul ara, focique!
Ara mihi cor eſt, amor eſt mihi victima. Novi.
Hac ratione tibi mavis, Meliboee! litari.
Men. Cernitis auricomi pulcerrima lumina Phoebi?
Talis hic eſt Noſter. Solet haud oratus oriri,
Cuncta fovet radiis, nulli ſua denegat ora.
Al. Cernitis aeriae procera cacumina quercus?
Talis hic eſt Noſter. Dudum caput admovet aſtris,
Securusque ſui ventos, et fulmina temnit.
Daph. Cernitis excoctis nutantes meſſibus agros?
Talis hic eſt Noſter. Virtutum germina mille,
Mille animi dotes maturo oſtendit in auro.
Cor. Cernitis innumero tellurem flore decoram?

Digitized by Google

Talis hic eſt Noſter. Flores numeraverit ille,
Qui capiet numerum decorum, Meliboee! tuorum.
Men. Quot guttas Iſter ſpatioſo gurgite volvit,
Tot tibi felices annos, Meliboee! precamur.
Al. Quot matutinae rutilant per gramina gemmae,
Tot tibi propitios ſemper pluat aethra favores.
Daph. Ut lupus a ſtabulis dat terga Melampode viſo,
Sic a te fugiat morborum exercitus omnis.
Cor. Ut fugit ad latebras exorto noctua ſole,
Sic procul a te ſint, Meliboee! incommoda cuncta.
Men. Ante dabunt ſalices botros, et balſama fagi,
Quam ſubeant animo Meliboei oblivia noſtro.
Al. Donec erunt vigiles coeli per caerula flammae,
Laudibus haec, Meliboee! tuis laſſabitur Echo.
Daph. Dum fugient dumum caprae, cytiſumque bidentes,
Pectore tunc noſtro Meliboei nomen abibit.
Cor. Dent ſalices botros, dent fagi balſama, coelo
Sidera nulla micent, dumum, cytiſumque relinquat
Capra, et ovis, tamen hoc, Meliboee! in pectore vives!
Men. Protege pallores! Al. Tibi credita protege rura!
Daph. Hoc te pallores, Cor. Hoc orant credita rura! —
Men. Fallor, an albeſcunt Zephyris motantibus aurae!
Heſperus en, Socii! Capras repetamus, ovesque.
Hora monet potus. Si cras nos junxerit umbra,
Rurſus erit nobis Meliboei Purpura carmen.

Digitized by Google

E P I C A.

PALATIUM RHETORICAE [1].

Phoebe pater, doctaeque Deae, quibus Aonis unda
Labitur, et frondet Parnaſſi in vertice laurus!
Si bene quid veſtras manus haec ſuſpendit ad aras,
Liminibus veſtris ſi nuper triſtis abivi,
Reſpexique etiam, dixique invitus: Amicae
Cum Cyrrha, et Pimplae cum fonte valete Puellae!
Nunc faciles audite! Opus eſt mihi numine multo.
Nulli viſa cano. Procul, o Boeotica Proles,
Cui craſſis nebulis cerebrum ignorantia miſcet,
Quae Bacchum Phoebo praeſers, ventremque Minervae
Quam loquar, haec bipedes Diva inſectatur aſellos,
Mactarique cupit. Tu, Muſis ſacra Juventus!
Huc ades, et, dum te rapit ad ſublimia pulcrae
Laudis amor, Numen, quod ſit tibi rite colendum,
Diſce ex me, feros eadem doctura nepotes.

Jam feſſum gravis Autumnus caput inclinabat,
Jamque coronabat patrios nix plurima montes,
Cum laribus caris, cara genitrice relicta
Reddideram ſtudiis animum, timidusque repulſae
Vix bene tangebam tunc tantum nomine notae
Limina Rhetoricae. Volventem oracula Romae
(Nil aliud melius te dicam, maxime Tulli!)
Contigit, ut ſomnus, ſi non arcana Deorum
Vis fuit, opprimeret. Longo certamine victa

1) Adoleſcens Artis oratoriae curriculum nuper ingreſſus, quae ſibi per ſomnium, Cicerone duce, viſa eſſent, expouit.

Lumina clauduntur tandem, liber effluit, ipſa
In pluteum multo annutu laſſata cadit frons.

Ecce autem veneranda Viri mihi forma repente
Conſtitit ante oculos mentis. Percuſſit imago
Nunquam viſa animum. Spargebat honora capillos
Canities, vultum cum majeſtate ſevera
Gratia diviſo imperio ſecura tenebat.
Viſus erat, quali Phoebeos proximus ignes
Rex volucrum explorat. Dextra geſtante volumen
Laeva coercebat Romanam ſedula veſtem,
Quam dixere Togam. Prior hic mihi multa paventi:
Pone metum, Juvenis! Sequimur communia caſtra,
Tu tiro, veteranus ego. Commune veremur
Numen. Ab egregio ne mentem averte labore!
Meta quidem longa eſt, multis terrebere monſtris,
Ardua multa feres, multo ſudore madebis;
Haec tamen heroae ſunt pabula mentis. Ad aſtra
Non aliam ſcito eſſe viam. Me cerne vel unum.
Quot fluxere dies Veterum monumenta terenti!
Quam multa ad vigilem meditatus ſcripta lucernam
Morphea poſtpoſui Suadae, curisque quietem
Quo mihi notitiam vocum ſudore paravi!
Gratia dicendi quanti ſtetit! Attamen iſtis
Gloria plus potuit. Mittendum in ſecula nomen
Stravit iter, duxitque manu. Nunc noſter ubique
Vivit honos fato major, celebrorque, legorque,
Qui periturus eram, ſi mens ignava fuiſſet.
Utque ſcias, qua nunc degam regione receptus,
Eſto comes! Cernes auguſta Palatia divae
Rhetorices, Dominamque tuam venerabere praeſens.
De duce ne timeas. Sum, quem vigil ante tenebas,
Sum Cicero. Audito Ciceronis nomine laetus:
En ſequor! exclamo: Sequor en, quocunque vocabis,
Grande decus Latii, Roſtrorum gloria, torrens
Eloquii! Sequor, et veſtigia pronus adoro!

Progredimur calle ignoto. Mihi Patria ſenſim
Eripitur, monteſque novos, nova flumina cerno.
Purior hic aether peregrinos ſpirat odores,
Nec triſtes recipit nebulas. Meliore caleſcens
Sole ſuperbit ager. Laetus ſubeuntibus afflat
Membra vigor, mentem lux ipſam inſueta ſerenat.

Haec ego dum tacitus mecum per ſingula miror,
Ecce tibi ingentes campos, quos ſine carere
Dixerit, armatis etiam qui credere vellet
Luminibus. Fruſtra hic Venetus, fruſtra Anglica vitra,
Carmine quae noto laudat per compita ſtentor,
Mercurium fragili qui clauſum carcere geſtat.
Campus in immenſum ſed quamvis tendat uterque,
Qui dextram, laevamque tenet, tamen iſte ſub omni
Rerum mole latet. Videas mare, flumina, montes,
Aſtra, feras, homines, quidquid cenſetur in orbe,
Quod ſenſu queat attingi. Sed copia rerum
Tanta ſilet, nulloque ſono pigra aura movetur.
Alterius campi vacuum jacet aequor; at illo
Mille ſonos audire datum eſt, diſcrimina mille
Verborum, vocumque chaos. Fervere putabam
Bella ſtolata inter lotricum examen, et illas,
Quae modo caſtaneas vili ſartagine torrent;
Credebam veteres ollas, ſellasque volare
Loripedes, tanto ſtrepitu loca dicta ſonabant.
Ergo morae impatiens diuturna ſilentia rupi,
Et: Pie, dicebam, Ductor! Si noſcere fas eſt,
Dic mihi, cur vacet hic campus, cur rebus abundet
Alter, et hae taceant; vacuus tamen uſque loquelis
Perſonet? Ille refert: Dea noſtra his imperat arvis.
Illius imperio campum, quem laeva tuetur,
Res caſtris texere ſuis; regio altera dextram
Reſpiciens *Verbis* ceſſit. Pars utraque fines
Cuſtodit, nutumque Deae ſubjecta veretur.

Res ſine voce tacent; Vocis natura ſonare eſt [2].
Hinc Soboles pugnis, omnique aptiſſima marti,
Seu jubeas denſis cuneis procurrere in hoſtem,
Seu ſparſis pugnare globis, mediove relicto
In latera inferri, ſeu firmam offerre phalangem [3].
Vix ſonuere tubae, numerus ruit omnis in arma,
Quorum mille dein cupidus mirabere formas.
Diſce ex his, quo ſit provecta potentia Suadae,
Dum rerum genus omne tenet ditione, ſuisque
Dirigit imperiis voces ſine lege volantes.

Haec inter progreſſi ambo minitantia coelo
Tangimus, et vivas imitantia moenia rupes.
Aeratas ſtupeo portas, et caeca profunda
Foſſarum, vigilumque gregem, qui plurimus adſtat.
Illis trux habitus, crudo quoque robore *membra.*
Pars telis quatuor, tribus una, extrema duobus
Bella gerit. Stricto primo ſtringantur, oportet,
Et reliqua [4]. Ante alios pugnam, caedemque capeſſunt.
Conveniunt celeres, ubi ſumma pericula fervent,
Ordinibus freti. Dux haec me cuncta monebat.

Quem poſtquam videre, nihil mortale ſonantes
Impellunt aditus, et grandia limina pandunt.
Hic nova ſe rurſum facies ſubeuntibus offert.
Dextra jugi Phoebo fruitur, cultisque viretis;
Laeva latet tenebris, noctique immerſa perenni.
Tullius hic: Laevam ſequimur. Vidiſſe juvabit,
Queis pereat poenis, qui noſtrum laedere Numen
Audet, et ingratus conceſſum munere Divae
Prodigit eloquium. Lateri Ciceronis adhaere
Impavidus! Cicero eſt his formidabilis umbris.
Sumſi animos, tantumque ducem per opaca ſecutus

2) Materia et Forma Eloquentiae.
3) Diverſa Orationis genera, ſeu Styli.
4) Periodi. Quod Vocabulum verſus reſpuit.

Digitized by Google

Devia ſtagnum undans flammis, et ſulphure vivo
Conſpicio, variosque ardenti in gurgite nantes
Exertis linguis, et terrifico ululatu.
Scire avido, tantas quae poſcant crimina poenas,
Reddidit haec Cicero: Quos gurgite cernis in iſto,
Non paucos homines ab avito jure Sacrorum
In ſtolidum traxere nefas, verbisque doloſis
In caſtos quondam docuere inſurgere ritus:
Nullos eſſe Deos. Nullam poſt fata bilancem.
Infernos commenta rogos. Cum corpore ſolvi,
Quidquid eras. Mores, Virtutem nomina vana.
Nominibus tamen his utendum, ubi teſtis adeſſet.
Quod ſi teſtis abeſt, Sapientem pandere poſſe
Vela cupidinibus, nec jam ulla lege teneri.
Hi, quia facundi ſunt dotibus oris abuſi,
Seque unos crepuere Sophos, Verique magiſtros,
Ignibus his hoc in ſtagno ſine fine coquentur.

Parte alia nox viſa minor. Sub luce maligna
Apparent hominum triſtes, tenuesque ruinae.
Funereo exanguis facies pallore rigebat,
Aruerat pellis, diro ſtridore ſonabant
Oſſa, cavos oculis macies extrema receſſus
Subdiderat. Ventos vano captabat hiatu
Turba omnis teſtata ſamem. Commotus acerbo
Intuitu cauſſas, miſerorum crimina, quaero.
Protinus: Immeriti num te miſeratio vulgi,
Tiro! ſubit? mihi Ductor ait: Foediſſima monſtra
Digna tua pietate putas, queis ſanguine paſci
Innocuo, tenuis caede exultare popelli,
Virtutem jugulare, ſcelus ſuper aſtra levare,
Dum licuit, ſolenne fuit? Quid enim ſibi ducit
Turpis adulator vetitum? Dum vita manebat,
Aulas hi coluere ſuo palpare Monarchas
Eloquio docti, coeloque aequare parati,
Quidquid agat Princeps. Juſti dixere tenacem,

Qui pede ſanguineo premeret ſibi ſubdita colla
Carnifici propior, populi pro Patre Tyrannus.
Largus erat Princeps, ſi quis, quas ſudor avorum
Collegit, ſpargebat opes, luxuque jubebat
Degeneri nullos horrere aeraria fures.
Contra, qui miſeros ſpoliabat pane colonos,
Natus ad augendos cenſus, et hirudine pejor,
Providus, et frugalis erat. Qui ſacra nefandae
Cypridos, et Paphias coleret devotus acerras,
Tutus erat flore aetatis, clypeoque juventae.
Fraudibus his blandis, verborum hoc melle doloſo
Principis infregere animos, et in omne ruentem
Armavere nefas, donec vel vindice ferro
Occideret, vel purpureum pro Principe monſtrum
Pollueret ſolium. Sed nunc pro turpibus auſis
Dant laeſae poenas Suadae, tolerantque caninam
Tempus in omne famem, qui quondam more canino
Ventris in obſequium, quidcunque ſatur ſpueret rex,
Lambebant avidi. Mox turbam intentus in illam:
Cernis Ariſtippum, Evagoram, turpemque Cleonem,
Inquit: et auguſtas ſolitos ſale ſpargere caenas
Sarmentum, Galbamque? Hic Arbiter ille Neronis,
Narciſſus, Pallasque, Perennius, atque Cleander
Aeternum eſuriunt [5]. Sed cur ignota profantur
Verba mihi quidam? quaerebam. Ductor ad iſtud:
Audiit hos palpo ſermonis Sequana quondam [6],
Heroas aequare Deis, et quaerere in aula,
Solibus haud impar etiam qui pluribus eſſet,
Pluribus aut Mundis [7]. Nunc almo lumine caſſi

5) Noti omnes e veteri Hiſtoria Adulatores.

6) Poemation iſtud conditum fuit a. 1753. dum Autor Clagenfurti Rhetoricen profiteretur.

7) Adluſio ad Numiſma Ludovici XIV. a. 1663. cuſum, cujus Averſa Solem exhibet cum lemmate: *Nec pluribus impar.*

Lilia, Pariſios, Luparam, Verſalia Tempe
Murmure frigidulo ingeminant ſine fine, vocantque
Quondam laudatos longa ad jejunia Magnos.

Parte alia vacuas ſpargebant verba per auras
Excelſi roſtris quidam; neque concio roſtris
Ulla, nec auditor. Miranti talia Ductor:
His olim populos formare ad juſſa Tonantis
Munus erat, ritusque pios, pia ſacra docere.
Fors poterant etiam; ſed laudis ſtulta cupido
In praeceps egit. Superum monumenta vereuda
Vili ceruſſa vocum, ſtolidoque cothurno
Relligione ſacras infamavere cathedras.
Agricolarum aures, et cuncta minora peroſi
Oppida centenis delubra ſuperba columnis
Rumpere quaerebant ſermonibus ampullatis,
Multus ubi auditor, quem noſceret aula, ſalivam
Cogeret, et nigris ſubſellia denſa niterent
Palliolis. Haec inter abit molimina tempus.
Mimus habet finem. Mors: Plaudite! dixit. In iſta
Delapſi loca perpetuis baubatibus inſtant,
Et, quia ventoſae ducti prurigine laudis
Dulce palatinas aures mulcere putabant,
Non audituris jactant oracula ventis.

Atque, ut perſpicias melius, quo noſtra rigore
Diva ſit in fontes, huc lumina verte! Simulque
Monſtrabat digito turbam, quam multa papyrus,
Et veteris chartae contorta volumina ſaeva
Commiſere acie. Reſonat locus ictibus omnis.
Caeduntur, caeduntque. Novis novus ardor ab armis
Advenit, et miſeris non eſt cura ulla quietis.
Uſque adeo crevit rabies. Jam verbere crebro
Conſumtus, quaecunque vides, tegit omnia codex.
Hi quondam, dum vita fuit, ſunt caſtra ſecuti
Rhetoricae, poterantque etiam nunc ſede beata
Nobiſcum ſine fine frui; ſed pectora lucri

Cepit turpis amor. Signis poſt terga relictis
Vilis bracteolae ſtudio meditantur iuiquum
Proditionis opus, ſecretaque noſtra profanis
Hoſtibus evulgant, et ſacro nectare Suadae
Aſpergunt bipedes onagros. Si forte veniret
Filius Arcadicae quercus, cui laeva mamilla
Nil ſalit, et numo oſtenſo: *Fer opem mihi, ſodes!*
Diceret: *Eſt ſcripto Princeps mihi multa rogandus.*
Convaluit Mater, Soteria debeo. Natus
Hac eſt luce Pater. Jani venere Calendae.
Protinus invito calamo, multisque lituris
Indignum teſtante nefas rea lucra ſecuti
Rhetoricae florem foedi lenonis ad inſtar
Importunorum vi commiſere procorum;
Quamvis tanta gemens ad crimina virgo papyrus
Abnueret ſuccum, et ſpurias tolerare figuras.
Haec miſeri nunc facta luunt, nunc perfida ſcripta
Autores repetunt, et conſumuntur in illis.

Progreſſi ulterius rurſum nova monſtra videmus.
Stabant non pauci, queis fandi nulla poteſtas;
Ora etenim ferro gravibus religata capiſtris
Cerno premi, et vetitam geſtu ſupplere loquelam.
Tum Cicero: Memori, quae dicam, mente reconde.
Hi patriae ſunt probra meae; nam te neque noſtri
Celabo manes Latii. Meminiſſe vel ipſe
Tu poteris, quoties tibi ſint audita per urbem,
Dum fora mercatu fervent, notiſſima verba:
Huc adſit, magicam qui vult ſpectare lucernam!
Ecce ſubalpinum murem! Belliſſima ſaltat
En Catharina! Tuis nimium ne parcito Soldis!
Turba, veni! Cernes Veneti ſolennia Bacchi!
Rubra Croatarum ſpectabis pallia, Claſſem
Indipetam, et Pruſſos in curta veſte gigantes!
Poſthaec mota manu raucum dant organa carmen,
Quod prior inſequitur clamor. Sic credula vulgi

Corda trahunt, loculosque fame ſtimulante diſerti
Excutiunt. Alii, quos ventris cura redegit
Ad laceras caligas, cum tota domi periit res,
Una divinam perdiſcunt luce Matheſin;
Nec mora, vitra parant oculis acuentia viſum,
Proque ſibi reliquis Paulis hydrargyron addunt
Claudendum tubulis. Quantum non ventre magiſtro
Proficitur! Jam regna petunt externa, domosque
Concurſant, feroque terunt clamore plateas
Eloquio freti. Sunt et (Nec, quam tua nondum
Excuſſit labem gremio Germania, Tiro!
Diſſimulare velim) ſunt et, qui mitibus herbis,
Unguentis, ſuccis, ſalibus, totoque Galeno
Auxilium properant aegris mortalibus. Altum
Pegma foro ſurgit. Vitae, mortisque Potenti
Longus adeſt ordo ſervorum. Ut denſa corona
Conticuit, regum dextras, indultaque primum
Commemorat multis e pellibus, exin ad artis
Progreditur miranda ſuae. Stupet inſcia turba.
Jam pia tuſſiculae Baucis mala cuncta minatur,
Nil formae jam Baſſa ſuae, nil laevis Echion
Pulmoni timet, annoſo quin ipſe catarrho,
Neſcio quid, meditatur Aper. Mens omnibus una eſt,
Vincere Tithoni ſenium. Sudaria numis
Plena volant, foetoque ſinu ſperata reportant
Secula cornicis. Ceſſa, o gens credula! ceſſa!
Stercus inauratum eſt, quod emis. Nihil ille Galeni,
Nil habet Hippocratis. Cur mutas aera lupinis?
Nam, tuus ut medico denarius haeſerit hamo,
Colliget aſtutus piſcator vaſa, tibique
Vertet terga novis jacturus retia ſalpis.
Huc quoque deveniunt, quos longo in ponte ſedere
Videris, aut ſacris crebros adſtare coloſſis
Dimidio naſo, manibus, pedibusve carentes,
Sed lingua nimium validos. Hi ducere numos

E loculis didicere tropis, didicere figuris,
Eloquiique decus craſſo centone profanant.
Hos ubi lapſa dies multo ditaverit aſſe,
Non jam ſcazontes [8] cernes. Agitare choreas,
Et fluidae cereris grandes ſiccare culullos,
Et jugulare famem pingui novere ſuilla.
Omnia mors mutat. Jam non licet eſſe diſertis.
Ora ſilent, quamvis Samio non juſſa magiſtro [9].
Rhetorica occluſit fraudum rigidiſſima vindex,
Perpetuumque jubet meritos mordere capiſtrum.

Hos quoque, quos laeva poſitos in parte tueris,
Ira premit Divae. Merito! nam mentis acumen,
Ingenii nervum, et praeſtantis munera linguae,
Queis poterant ſummis etiam decus addere rebus,
Quiſquiliis vana ducti ambitione ſacrarunt.
Hic quondam, longa quem conſpicis aure rudentem,
Laudibus immeritis foedum celebravit aſellum.
Vertice quem glabro frigentem cernis, hic olim
Calvitio plauſit. Forma turpiſſimus ille
Therſitis formam demens aequavit Olympo.
Hic, qui praebet equi trepidantes dentibus artus,
Extulit eloquio diri Buſiridis acta.
En tibi, qui quondam podagrae praeconia dixit.
Praeconem nunc grata ſuum complexibus arctis
Illa fovens morſu notat omnia membra procaci.
Denique, ne triſtis nimium te turbet imago,
Aſpicis hunc, albis quem texit beſtia caſtris,
A pedibus quae nomen habet fatale minutis?
Humani capitis ſolertes ille colonos
(Gratum opus agricolis) ſcripto celebravit honore.
Nunc hi ſarcinulas certant conferre nigellas

8) Claudicantes.
9) Pythagora.

In Maecenatem [10]. Sic fert ſententia Suadae.
Quae quis digna ſua, dum vixit, laude putavit,
Cogitur illa pati, poſtquam eſt hac ſede receptus.
Nunc miſeri damnant faſtum, mutosque fuiſſe
Se cuperent potius, ſed ſeris Numina votis
Nulla vacant, meritum non eſt delebile Theta [11].
Hinc monitum meliora ſequi te, Tiro! decebit.
Turpis anas quovis roſtrum merſiſſe ſimeto
In votis habet, innubi dum paſcitur aethra,
Aſſyrioque ſatur phoenix pingueſcit amomo.
Finierat, tenebraeque ſimul, moeſtusque recedit
Horror, odoratam vallem, cultaſque ſubimus
Areolas, ubi ver, florumque exercitus omnis
Perpetuos poſuere lares. Ego protinus altum:
Felices, exclamo: viros, quibus iſta tenere
Regna datur, quibus exemtis contage caduci
Aurea ſecla fluunt, mundique infantis imago!
Quam cuperem veſtro vobiscum vere potiri!
Subridens Ductor: Temeraria vota coerce!
Subjicit: o Tiro! Neſcis, quid amoena minetur
Forma loci. Triſtes horum prius aſpice vultus,
Et diſces optare. Simul converſus ad illos
Confectos luctu vultus, macieque ſuprema
Territus intueor; nec Ductor multa moratus:
Hos fuge, care Puer! ſi quid tibi poſſumus! inquit:
Hi quoque, quando genas pingebat mollior aetas,
Pectora Rhetoricae ſtudiis intacta ſacrarunt;
Verum quid ſacraſſe fuit, ſi calle relicto
Devia mox petiere, novam ſibi fingere certi
Rhetoricam, non, quae mentes ſermone potenti
Vinciat, et caſto ſplendeſcat maſcula cultu,

10) Lucianus, Joh. Paſſeratius, Syneſius Cyren. Favorinus, Polycrates, Bilib. Pirkhaimerus, Dan. Heiuſius, Hortenſ. Landus, alii.

11) Nota damnatorum a Θανατος Mors.

Sed vario, veluti meretrix Floralis, amictu
Criſpum ſub crotalo moveat latus? Omnia plena
Verborum phaleris, et crebris tinnula bullis.
Grande nihil, ſublime nihil, niſi ſeſquipedale.
Spernor ego. Mea ſcripta jacent, quae ſecla tulere,
Edomitura famem tineae, paſturaque blattas.
Pegaſus in roſtris hinnit, venerandaque quondam
Curia Pieridum ſaltu ſtrepit. Aſpice Cinnam,
Ut gaudet, plauditque manus! Quae cauſſa? Repertas
Eſſe ſibi gemmas clamat. Dic, optime Cinna!
Quaenam illae? *Aſtrorum illuſtriſſimus Induperator.*
Auguſtalia regum. Aeternatura trophaea.
In pectus redit aura. Genu lunare. Novercans
Fortuna. Excidium vomere, et *ferre oſcula ripae.* —
Cinna, ſat eſt! Rumpor. Quis te felicior alter,
Cui tantum turgent cimelia! Perge ſecundis
Alitibus! Nunquam deſint tibi, Cinna! paludes,
Prae quibus auriſluum poſſis contemnere Hydaſpen!
O ſtolidum genus! o male blanda urtica placendi!
Quo rapis humanas mentes novitatis amore!
Quis ferat hac tantam corrumpi peſte juventam,
Quae, niſi ſloriloquis rabulis commiſſa fuiſſet,
Redderet Auſoniis numen, famamque cathedris!
Nunc inter violas, et humi naſcentia fraga
Repere docta pari foedat contage nepotes.
Hinc eſt, quod ſolo hic ſlorum paſcantur odore,
Quos tanto ſtudio ſunt, dum vixere, ſecuti.

Haec ubi me monuit: Laetos, Comes! indue vultus!
Proſequitur: Dextram petimus. Felicia cernes
Agmina, quae pax alta fovet, quae limpida mulcent
Otia, quae quondam, modo mens tibi conſtet, adibis.
Multus ubi Suadae candenti in veſte ſacerdos
Ducit inexhauſto turgentia nectare ſecla.
Plura locuturus captum novitate locorum
Me videt ad nullas jam mentem advertere voces.

Planities erat apricis circumdata clivis,
Divitiis quam tota ſuis natura bearat.
Aethera ſi ſpectes, non illum livida nubes
Auſa unquam turbare fuit; ſi gramina, blandus
Alta petebat odor, quem dives copia florum
Halabat vernante ſinu. Si frigida quaeras
Antra, pererratos illimi fonte receſſus,
Adſunt; ſi ſtreperi malis vaga murmura rivi,
Mille tibi rivi lentum trudunt argentum
Obliti veluti curſus; ſi provocet umbra,
Aeternas platanos, coelo capita alta ferentes
Conſpicias tilias, curvo laureta meatu
Pennigeris habitata choris, qui dulcibus implent
Omne nemus modulis. Echo non ſufficit una,
Quemque canat, dubitans nunc hos, nunc exprimit illos.
Hic ubi conſtitimus, niveis in veſtibus adſunt
Indigenae, Craſſus, divini Hortenſius oris,
Plinius, Iſocrates, et, quem ſtupuiſtis, Athenae [12]!
Perpinianus, item Muretus, tuque, Sigoni!
Tuque etiam, Poraee! venis, tu, gnave Soari!
Vosque alii centum, quorum tunc ora videre
Contigit, atque utinam contingeret uſque videre!
Majeſtas cunctis eadem, qua crimina quondam
Urbibus ejecere ſuis, qua mobile vulgus
Stare uno docuere loco, qua regna tenebant,
Morigerasque ſibi reddebant ſaepe coronas.
Afflabat lux laeta oculos, viridisque ſenectus
Praeſtabat vegetos nulli ceſſura juventae.
Horum ego defixus felici in ſorte virorum
Laxabam votis animum, cum Ductor: Eundum eſt,
Tiro! monet: Superanda viae pars altera reſtat.
Regia Rhetoricae nos praeſtolatur. Eundum eſt.
Tempus erit, tibi quo dabitur regna iſta tenere.
Nunc praecide moras! Veneror tua juſſa! repono:

12) Demoſthenes.

Quanquam o ſi liceat, ſi poſſim! Aſt praeſtat abire,
Quando jubes. En me promtum! Duc, qua libet! Ibo!
Progredimur celeres, quamvis ſaepe ora reflecto.
Ventum eſt ad bivium, cujus ſub limine Virgo
Conſtitit auguſta ſpecie, quam credere poſſes
Rhetoricam. Vultu magnae ſolertia mentis
Emicat; aſſiduo gyrat vaga lumina motu;
Veſtis mille oculis per totum picta refulget
Quoslibet, ut viſum fuerit, ſumtura colores.
Tullius hanc mihi commonſtrans: *Imitatio*, ſubdit:
Dicitur haec, reliquis Suadae praelata miniſtris,
Et dominae dilecta ſuae, quam poplite flexo,
Si ſapis, addictam tibi reddere, Tiro! memento!
Obſequor, et ſubmitto genu. Subriſit Amazon,
Atque ait: Orator ſalve mihi parvule! Suadae
Regna videre cupis? Voti damnaberis. Ecce
Hic via ſe geminas in partes ſindit. Utraque
Tenditur ad ſedes Dominae; ſed longior illa eſt,
Haec brevior multo. Ducunt *Praecepta* per illam,
Hanc praebent *Exempla*. Via breviore feremur.
Dixerat, orditurque viam, qua porticus ampla
Admovet auratos coelo regaliter arcus.
Hic ego dum Pario ſtructos de marmore muros,
Prae quibus et ſunt vitra minus ſincera, ſtupeſco,
Auratis inſculpta notis contemplor ibidem
Clara mei monumenta Ducis, quae maxima Roma
Audiit e roſtris quondam. Catilina rebellis
Hic pavitat, ſpectatur ibi Piſonis imago.
Vapulat hinc Verres, ſpem vitae Roſcius illinc
Concipit. Adverſa Milonem ex parte videre eſt
Securum exilii. Pars exhibet altera, quidquid
Pro Laribus dixit propriis, quae vota reverſus
Protulit ad Patres. Paucis ut plurima dicam,
Quidquid divini Ciceronis fluxit ab ore,
Marmore in hoc legitur, meritoque perennat in auro.

Haec me ſolicito ſectantem lumine Virgo
Admonet, et: Portum votorum tangimus, inquit:
Hic eſt Rhetoricae ſedes. Dum colligo ſenſus,
En tibi cognatis faſtigia nubibus infert
Aula Deae, faſtum mortalem vincere nata,
Digna domus Domina, ſub qua ſudare columnae,
Et nimiae didicere ſibi vileſcere gemmae.
Limina veſtit ebur, latas dant marmora ſcalas,
Aere rigent fulvo portae, foribusque ſub ipſis
Turba Puellarum nitido venit obvia cultu.
Verſicolor cunctis cyclas, multoque decorum
Flore caput. Sequitur Puerorum candidus ordo
Impar ſtare loco, teneroque ſolum pede plaudens.
Hi dextrae aſſiſtunt, illae tenuere ſiniſtram.
Hos mihi demonſtrans Virgo: Quos cernis ephebos,
Noveris eſſe *Tropos*, has noveris eſſe *Figuras*,
Inquit, et haec inter coeleſtia tecta ſubimus.
Tunc mihi, neſcio quis, mentem ſacer increpat horror,
Diriguere comae, ſudor quoque tempore ſparſit.
At Virgo: Quid, Tiro! times? Hinc cauſſa pavoris
Omnis abeſt. Longo haec ſpatioſa cubilia tractu
Inſpiciamus, ait: Solet hinc ſibi tela parare,
Hinc armare ſuos bellorum tempore Suada.
His quoque tu quondam ſudabis, Tiro! ſub armis,
His ſcelus, et fraudes, et quidquid pugnat honeſto,
Sub pedibus trepidare tuis mirabere victor!
His adeo monitis revocato in pectora ſenſu
Singula perluſtro cupidus. Stant ordine longo
Argumenta [13] ſuis diſcreta cubilibus. Iſta
Parte triplex aries [14], qui vel fortiſſima ſternit
Moenia, parte illa torvum *Enthymema* minatur.
Hic acie bifida fulget fatale *Dilemma*;

13) Seu Argumentationes.
14) Syllogiſmus.

Strictorum horret ibi pugnax ſeges *Exemplorum*,
Atque *Epicherema*, et *Soritis* mucro reduncus.
Haec mihi tunc primum pandebat nomina Virgo.
Quae poſtquam ſatis inſpexi, procedimus, inque
Undique diſtinctam loculis immittimur aulam.
Rurſus ubi Virgo: Gazas hic cernere Suadae,
Tiro! potes; tua ſed ne te ſententia fallat,
Non hic invenies operoſi fruſta metalli,
Pro quibus ingrati laniatis viſcera matris,
Non rubri excrementa maris, rutilosve lapillos,
Pro quibus infidis toties confiditis undis;
Haec curvas teneant animas! Meliore propago
Ficta luto, fatuoque animus glaucomate liber,
Quas Superi curamus, opes affectat easdem.
Scrinia mox reſerat. Quae tunc miracula vidi,
Quis celebret ſatis, aut digno ſermone loquatur [15]!
Hic Genera, hic Formae rerum, Subſtantia, Partes,
Materia, Effectus, Virtutes, Finis, Origo;
His adde Inſtrumenta, Modum, Tempusque, Locumque,
Quae ſibi conveniunt, quae foedera cuncta recuſant.
Plura quid enumerem! Rerum novitate ſtupentem
Compellat Cicero: Non haec ſibi ſervat avara
Rhetorica. Hae ſemper gazae tibi, Tiro! patebunt.
Hinc dictis accerſe tuis momenta, vigorem,
Et decus! Hinc ſolum contende orator haberi!
Finierat Cicero. Diti diſcedimus aula,
Urgemusque gradum magnae ad penetralia Divae.
Hic oculis opus eſt. Gemmae undique, et undique gemmae.
Auro parvus honos. Fornix famoſa trophaea
Rhetoricae, partasque refert ex ordine lauros.
Hic Agrippa viros ex ſacro Monte reducit.
Hic Demoſthenis ora ſui reverentur Athenae.
Hic Pericles tonat. Hic Vejos tranſire Camillus

15) Enumerantur deinceps Loci Rhetorici.

Romanum prohibet. Nec tu, fidiſſime Ductor!
Laude cares merita, ſed magna parte videris,
Ut quondam, Dominos rerum ſermone tenere.
Eſt ſua laus aliis etiam. Non ſummus Apelles,
Non haec mortalis pinxit manus. Omnia plena
Numine terrificam ſpirant veneranda ſenectam.
Aſt latera artifici textu ſudavit Arachne
Geſta Deae ducens, primique exordia mundi,
Cum ſine praeſidio legum, cultuque Deorum
Errarent homines brutarum more ferarum
Per deſerta vagi, cum ſemina credere ſulcis,
Tollere tecta ſolo, circumdare moenia tectis,
Juſſa ſequi alterius, defendere veſtibus artus
Res ignota foret. Tunc ſe mortalibus illis
Rhetorica oſtendit primum, ſilvisque relictis
In foedus docuit poſita feritate coire,
Legitimos ſervare toros, mandata vereri,
Formidare Deos, et noſſe, et amare laborem.
Tunc Pietas, tunc alma Fides, tunc cetera turba
Divarum ſucceſſit humo. Pars altera Bacchum
Exhibet everſa flentem ſua dona lagena,
Mercuriumque ſua fruſtrari fraude dolentem.
Fractae alibi Mavors inglorius incubat haſtae.
Eſt ſuus et Puero Veneris locus. Improbus ille
Extinctas Matri taedas, hebetesque ſagittas
Flebilis oſtendens vindictam poſcit, opemque.
Rhetorica his cunctis fatalia ſaepius arma
Fortiter excuſſit, vetuitque excedere fines.

At procul in medio ſolio ſublimis eburno
Ipſa tenebatur. Vos, o vos dicite, Muſae!
Qualis erat! Mihi verba negant ſuccedere metro.
Cinxerat auguſtam frontem ſpecioſa corona
Et toto radiata Tago, et Gangetide gaza.
Oris erat ſpecies, non, qualem Mater Amorum
Jactat, in ignavos quae ſolvat corda calores,

Sed quae viſa ſemel, quamvis ſine voce diſerta,
Ingereret virtutem animis, quam foedere raro
Ornaret ſocia cum majeſtate venuſtas.
Praecipue ignotas ſpargebant lumina flammas,
Quae quaterent mentes, quae cordis in ima ſubirent.
Quid memorem eloquii pondus! Jovis ignea tela
Sunt violenta minus. Quidquid demum illa loquatur,
Vis occulta animos in partem flectit eandem.
Dextra manus ſceptro partitur juſſa, ſiniſtram
Aurea non onerant, verum implent vincla, tegitque
Aurea palla pedes crebris diſtincta pyropis,
Purpura quam ſuper eſt bis largo murice tincta,
In dextro firmata humero, et ſubjecta ſiniſtro.
Circumſtat ſolium, nutusque expectat heriles
Turba frequens horum, quos noſtro more loquendi
Dicimus *Affectus;* viridi Spes hoſpita peplo,
Commorſis Odium labiis, zonamque ſoluta
Gaudia, colliſis infrendens dentibus Ira,
Taeda armatus Amor, leni Miſeratio vultu;
His adde Invidiam, multus cui pectora morſu
Depaſcit coluber, converſum in terga Timorem,
Triſtitiam, tacito quae ſe pallore fatetur,
Et Deſiderium defixo in ſidera viſu.
Omnes hi, quantum mortali in pectore poſſunt,
Tantum Rhetoricae juſſis, nutuque tenentur.
Ipſo ſub ſolio Divae, pedibusque ſub ipſis
Aeternas ſcelerum mordet genus omne catenas,
Ebrietas maleſuada, Furor, fremebunda Tyrannis,
Luxus, et inviſae Fraudes, et ſpurca Libido,
Perſidiaeque lues, et Amor ſceleratus habendi,
Contemtus Superum, tortoque Superbia collo;
Omnibus his tandem poſt praelia plurima forti
Suada triumphatrix injecit vincula dextra.
Nunc quoque compedibus tentent exire ſolutis,
Ni vetet, et caſſos ludat ſecura tumultus.

Huc ubi deductus Divam mihi ſupplice ritu
Propitio, dum ſtratus humi meditata profari
Verba paro, Diva ecce tibi prior ora reſolvit:
Novimus, in noſtram quid te perduxerit aulam,
Novimus, o Juvenis! Noſtris ſuccedere caſtris
Eſt animus. Placet. Aſt humeros, quid ferre recuſent,
Quid valeant, prius incepto tentaſſe juvabit.
Rhetore cum noſtro ne tu confunde Poetam!
Naſcitur hic; noſter multo ſudore paratur
Miles, et attritis tandem venit uſus ab armis.
Rhetoribus jam prima parens Natura futuris
Fundamenta jacit; dat firmos corporis artus,
Dat ſolidum pectus, dat vocis dona canorae,
Ingenium vaſtum, memoremque per omnia ſenſum.
Hanc ſequitur Virtus, quae Rhetoris altera mater
Componit motus freno rationis egentes,
Tendere ad alta jubet, redditque laboris amantem.
Talibus inſtructum donis ego tertia caſtris
Addo meis. Neque tunc omnis fortuna peracta eſt;
Sed labor, innumeroque gravis ſubit agmine cura.
Continuis etenim chartae impallere diebus
Cogitur, et ſeras vigilantem ad lampada noctes
Exigere, et multis tabulas implere lituris,
Solertique manu procerum monumenta meorum
Volvere, nec raro certamina ficta ciere,
Appoſitas rerum ſpecies effingere mente,
Verba ſequi, et dignos verbis addiſcere geſtus,
Donec inoffenſo per tot diſcrimina greſſu
Contingat meriti ſublime cacumen honoris,
Unde ſibi felix obnoxia ſecula cernat,
Aeternumque decus, laudatoresque nepotes.
Quin tu igitur pectus firmum, patiensque laborum,
Tiro! paras, pulcrosque alacer conſurgis in auſus!
Ecquid enim Superis propius, quid dignius aſtris,
Quam genus omne hominum ſolo ſermone tenere,

Criminibus purgare ſolum, virtutis amorem
Inſtillare animis, quas vincula nulla coercent,
Mentibus humanis occulta imponere frena!
Hi mihi, quam cernis, ſortem peperere labores.
Namque ego mortalis quondam. Sed mille triumphi,
Quos tunc de monſtris vitiorum immanibus egi,
Immortale mihi numen, ſedemque pararunt,
Quam teneo, ſemperque Diis immixta tenebo.
Quanquam multa Venus, quanquam Mars multa moverent,
Non movere Jovem. Dignam me cenſuit ille,
Quam ſibi propitiam cuperent mortalia cuncta.
Tu quoque, Tiro! meis illuſtre merebere quondam
Auſpiciis nomen, ſeroque terere nepoti,
Dummodo ſit virtus potior tibi, dummodo mentem
Recti cura trahat, nec mollis inertia ſibras,
Nec languor tacito ſubeat praecordia lapſu.
  Sic Dea. Solvere jam linguam in reſponſa parabam,
Cum mihi de ſumma campanula Gymnade [16] ſtridens
Excutit heu ſomnum, Ludique audire Magiſtrum
Imperat! Aufugiunt Cicero, luſtrataque Regna
Rhetoricae; tamen ima animis concepta voluptas
Permanet, inſolitusque vigor mihi pectora pulſat.
  At tibi Dii meritum, campanula ſtridula! reddant,
Laetitiis inimica meis! Ornabis, opinor,
Si quid vota valent, vetulae palearia vaccae,
Aut prodes, quo ſit cereviſia peſſima vico!

16) Seu Gymnaſio.

MORS OSCARIS [1].

Alpino Sate! quid refricas mea vulnera quaerens
Oſcaris interitum? Lacrimae mihi luminis uſum
Eripuere quidem; ſed mentem tempora priſca
Colluſtrant. Quanam potero ratione referre
Triſtia fata Ducis populi! Nunquamne deinceps
Te, mea Progenies, Heroum gloria! cernam?

Ut nimbi lunam rapiunt, ut, ab aequore vaſto
Dum ſurgunt nubes, et rupibus Ardannidae
Nox atra incubuit, medio ſol conditur axe,
Sic cecidit! Pater, ut longaeva victa ſenecta
Morvenio in ſaltu quercus, tabeſco. Furore
Turbinis interiit ramorum honor omnis, et alae
Me Boreae exterrent. Oſcar! nunquamne deinceps
Te, mea Progenies, Heroum gloria! cernam?

Non tamen, o Proles Alpini! ut falce refectum
Gramen, iners cecidit. Clarorum ſanguine cuſpis
Oſcaris immaduit, perque agmina robore ſiſa
Mors Juveni dedit uſque viam. Tua, nate Caruthi
Oſcar! mors inhonora magis. Tua dextera fidum
Trajecit pectus, rubuitque a ſanguine Amici
Haſta tibi. — Quondam Dermidis, et Oſcaris una
Mens erat. Hoſtiles acies conjuncta metebat
Vis Juvenum. Tam firmus amor, quam tela. Solebat
Mors medio comes ire loco pugnantibus, utque
Ardveniis duo ſaxa jugis excuſſa feruntur,
Sic illis conferre manum mos. Enſis utrique
Saepius Heroum ſtillabat ſanguine. Saepe
Nomen ad auditum Juvenum bellator oborto

1) *Filii Caruthi*, ex Anglico verſa, ut eſt in Notis Cl. Jac. Macpherſoni ad Oſſiani Poema, quod *Temora* inſcribitur.

Contremuiſſe metu viſus. Dermide niſi Oſcar
Dignus erat nemo, Dermides Oſcare ſolus.
    Fortem illi Dargum, Dargum, quem praelia nunquam
Viderunt dare terga fugae, ſtravere. Superſtes
Dargo Nata fuit ſolis formoſior ortu,
Mitior et lunae radiis. Duo roſcida coeli
Sidera dixiſſes oculos. Ut anhelitus oris
Vernos ſpirabat Zephyros, ita pectora ſtabant
Virginis intactae nivis aemula, quae per apertos
Defluit ex alto campos. Hanc vidit uterque,
Vidit, et incaluit, totusque in Virgine fixus
Hanc amat, ut famam, cupit hanc, aut fata. Sed illa
Te praefert, Oſcar! tua dici, Nate Carutho!
Nocte, dieque optat, caediſque oblita paternae
Deperit a fuſo dextram Genitore madentem.
    Uror in hac: orſus Dermides: Virgine, Amice!
Uror! ait; ſed te totis cupit illa medullis.
Nulla meis ſupereſt medicina doloribus. Oſcar!
En tibi pectus! Age, et carum miſeratus Amicum
Enſe tuo releva! Contra ſic Oſcar: Ut iſthoc
Enſe tibi pectus peragam? Diarania Proles!
Fruſtra equidem ſperas. Num quis te, Nate Carutho!
Dermides retulit: dignus magis? Hanc ego vitam
Ut porro producam inglorius? Oſcaris enſis
Abſolvat miſerum! Tu me mandare ſepulcro
Non inhonoratum, et famoſa morte beare
Tu potes! Oſcar ad haec: Dermides! eripe ferrum,
Elatumque rota! Fato quis det mihi eodem
Involvi, et dextra cari Dermidis obire!
    Ergo ad montis aquas, vicinaque flumina Branni
Concurrunt alacres. Cruor undis mixtus adhaeret
Petrarum muſco. Dermides ſternitur ingens,
Sternitur, et placido claudit ſua lumina nictu.
    Oſcaris ergo cadis, Proles Diarania! dextra!
Hactenus invictum pugnis te cerno jacentem!

Nec plura. Oſcar abit, carosque reviſit amores.
Illa legens preſſum venientis in ore dolorem:
Quae nebulae tibi fronte ſedent? Quae, Nate Carutho!
Fortem animum curae exagitant? rogat. Ille profatur:
Me quondam nemo melior torquere ſagittam;
Nunc tamen omne decus periit mihi. Montis ad undas,
O mea Lux! validi clypeus Gormuris, adortus
Quem pugna fudi, ſublimis ab arbore pendet.
Incaſſum mihi longa dies exercuit arcum.
Nulla ſagitta potis clypeum transfigere. Contra
Sic Virgo: Sine me! Quid poſſit filia Dargi,
Experiar. Manus haec, Oſcar! tractare ſagittas
Condidicit, Genitorque mea gaudebat in arte.

Sic effata locum petiit, Natusque Carutho
Poſt clypeum ſtetit. Excutitur fatalis arundo,
Et cari pectus reſerat. Sit gratia dextrae:
Oſcar ait: niveae! Flexae ſit gratia taxo!
Quis daret hanc animam leto, niſi Filia Dargi!
Lux mea! da tumulum! da, cum Dermide quieſcam!
Pars animae fortis Dargi mihi contigit, Oſcar!
Illa refert: Hilares et nos occurrere morti
Novimus, et noſtros ultro finire labores!
Haec dicens ferro ſibi candida pectora rumpit,
Labitur, et revoluta ſolo vaneſcit in auras.

Exuviis ad montis aquas data terra. Sepulcris
Incertas umbras diſpenſat betula. Saepe
Cervorum ramoſum agmen de montibus altis
Paſcitur ad tumulos, medio dum flammeus axe
Sol calet, et circum tenuere ſilentia colles.

VENATUS PAPILIONUM.

Fervida jam terris ſitientibus incubat aeſtas,
Innubisque dies deſpectat ab axe. Petamus
Floriferos, Socii! colles, atque herbida prata,
Dumque celer denſis apros in ſaltibus urget
Venator, nunc cervorum trepidantia fundit
Agmina, nunc leporem praeceps ſectatur agreſtem,
Fallendis demus nos Papilionibus horas!
 Sol ſplendet, campique omnes, tumulique volantur
Aligerae huic genti. Mellita hic pabula ſugit;
Perſequitur ſocium laſcivior ille fugacem.
Hic placidus radiis ardentibus explicat alas,
Dum praedatrices gyris fallacibus ille
Deludit volucres, aut ſe alta celat in herba.
 Principio viridi vobis duo retia filo
Contexta, o Socii! connexaque forcipis inſtar
Adſint; ſed maculis largis haec eſſe cavete,
Ne ſeſe eripiat dextro conamine praeda!
Retibus his inſtate agiles per florea ſparſi
Paſcua, ſive Hyalen rapidam [1]), Paphiamve ſuperbam,
Seu fulvam Aglajam, variumve dein Polycblorum,
Aut pullam Antiopen, aut Irida verſicolorem,
Aut formoſam Atalantam, aliumve e gente volucri
Cernatis, donec centum de floribus uni
Inſideat tandem. Tunc lente accedite panda
Forcipe; cautus enim nimis eſt, et ſubdolus hoſtis;
Centum oculis, quibus undique cuncta tuetur, ut Argus,
Pollet. Praecipue, ne veſtri corporis umbra
Illi adimat Phoebi vultum, prohibete propinqui!
Nam ſubito quatiens alas ſecat aera velox.

1) Nomina Speciebus ab immortali Linnaeo impoſita.

Ergo ubi compreſſu celeri inter retia captus
Haeſit, ne pictas motu ſibi deterat alas,
Stringite quamprimum, plenaque e pyxide laevem
Promite acum, et medio capti deſigite dorſo!
Confoſſi nec vos adeo miſeratio tangat.
Ecquid enim melius? Medio illum pica volatu,
Aut rapiat laetis intentum Daulias ales
Floribus, aut tergat tempeſtas ſaeva colores?
An ſpecie egregia ſic ornet ſcrinia veſtra,
Ut teneat multorum oculos, et vota moretur?

Retibus exemtum caute jam lignea theca
Defixum excipiat, dum veſpere rure reverſi
Ad patrias aedes figamus in aſſere plano,
Antennasque, ſimulque pedes, alasque reductas
Filo ita firmemus ferri, ut poſt tempora pauca
Noſtras ſiccus opes cumulet, reliquosque referri
Inter congeneres vitrea in tabularia poſſit.

Aſt ubi jam tempus, quo torridus aeſtuat aer,
Vicinas ſilvas, umbrasque petemus opacas.
Sed non otia pigra ſequi, fuſosque per herbam
Tegmine ſub quercus permittam carpere ſomnum.
An vos Papilio ſolus delectet, Amici!
Nulla Phalaenarum [2] cura eſt, quae, nox ubi terris
Umbras inducit, per roſcida prata vagantur,
Aut, ubi ſera colit Sapiens ad lumina Muſas,
Ardentem involitant alarum lampada damno,
Aut procul in pago, dum Mopſi ſedula conjunx
Ad taedae lumen deducit ſtamina Baucis,
Exercent ſtrepitus ad parvam ſaepe feneſtram;
Aſt, ubi clara vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, ad tuta, latebras,
Silvarumque umbras redeunt, rimisque cavatis
Corticis arborei, foliisque ſub omnibus haerent?

2) Linnaeo Bombycum, Noctuarum etc.

Hic ergo truncos oculo luſtrate ſagaci,
Fiſſurasque omnes, et acus diſtringite promti!
Nec vos decipiant; nam motum gnaviter omnem
Diſſimulant, patulisve alis, alisve plicatis
Corticeum referunt naturae fraude colorem.
Argus certe erit ille mihi, quem nulla Phalaena
Luſerit. Inventis igitur transfigite dorſum
Certo ictu! Saepe egregias incuria criſtas,
Queis genus hoc fratres ſuperat, praeſtatque diurnos,
Vaſtavit foede, nudataque terga reliquit.
Sed quia grandius his corpus, robuſtaque vita,
Cuſpide figendas iterum ſcitote reverſi
Per latera, aut pauliſper acus caput eſſe fovendum
Admota flamma, mors ut cruciatibus illas
Abſolvat citius, fugitivaque vita juvetur.
Non minus eſt etiam paſcentes frondibus altis,
Aut herbis, Socii! Erucas 3) inquirere lucrum,
Umbroſisque domi in capſis nutrire recenti
Semper mane cibo, lymphaeque aſpergere rore,
Dum juſtam nactae molem, propriumque vigorem,
Et transformandae in nymphas 4) aut condere curent
Se terra, aut capſis attexant ſtamine denſo
Folliculos. Erit illa dies, cum jam novus hoſpes
Prodeat in lucem e tumulo, pulcroque colorum
Ornatu micet, et, qui quondam lentus in umbra
Perreptabat humum, nunc alis aera tentet.
Ergo agite, et frutices oculis ſolerter obite,
Et plantas humiles, folii et veſtigia adeſi!
Proſtrata arboreis circumdate pallia truncis,
Et baculo impacto ramos percellite, quo vis
Erucas agat in praeceps nil tale timentes!
Sic erit, ut, dum ſera accendet lumina veſper,
Naturae e regno ſpoliis redeamus opimis.

3) Seu Larvas Lepidopterorum.
4) Seu Pupas, Chryſalides etc.

Digitized by Google

VIATICUM.

Criſpule! quandoquidem emenſum trieterida ſextam
Te peregrinandi importuna urtica momordit,
Automedonque urget tardari neſcius [1], et jam
Bardocucullatum expectant carpenta, morabor
Pauca, ſed in multos uſus tibi ſaepe futura.
Tu modo caeſariem denſam, quae plurima velat
Auriculas, remove, peraque reconde fideli,
Quae tibi Socraticae recitabo ſcita cathedrae.

Criſpule! eris felix, donec numerabis amicos.
Hos tibi, care, para! Vomuit ſua viſcera burſa,
Nullus et Hungarico rutilat tibi Caeſar in auro;
Conſiliis opus eſt, aut dextris; dum ſit amicus,
Nec deerunt numi, nec dextrae, aut conſilii vis.
Hoc pronum nunquid? Sed qua ſint arte parandi,
Hoc opus, hic labor eſt. Hic tu attrahe, Criſpule! folles!

Quemque ſui manes agitant, roditque ſuus mus;
Hinc vigil obſerva, qua lapſum parte minetur,
Debiliorve tuis pateat munitio telis.
Invenies, qui Narciſſos, pictosque Hyacinthos,
Et quidquid bellum eſt uſquam, ſuperare laboret.
Laudibus hujus tu formam ſuper aſtra repone,
Dic ſobolem Veneris, geminumque Cupidinis, et mox
In tua colla ruet, ſidoque augebere Oreſte.
Alter amicitias metitur ventre, gulaque.
Hunc uno cratere potes genialis Jacchi,
Aut fluidae Cereris tibi conciliare culullo.
Quod ſi illum phiala nigri dignabere potus [2],
Quo ſolet Hiſpanus jejunia fallere, pro te

1) Auriga Achillis.
2) Vulgo Chocolatae.

Nocturnarum agmen non horreat Empuſarum [3].
Tertius Aonio natum ſe in vertice credit,
Et paſtum Ambroſia, cunas motante Minerva.
Tu ſupra ſeptem ſapere illum, Criſpule! Athenas
Sex minimum palmos jurato; tum recitantem
Auſculta patienter, et illud habebis, opinor,
Protinus ut tuus eſſe velit [4]. — —

VERI VOTUM.

Quando erit, ut redeas, anni exoptata Juventus!
Sat moeſtis clauſus foribus, tepidoque cubili
Longa tuli dudum vetulae faſtidia Brumae.
Ut juvat halantes renovato germine campos
Cernere, et indutas ſilvas juvenilibus umbris!
Ut cupio volucres docili bibere aure camenas,
Et te praecipue, noctes, Philomela! ſerenas
Dum mulces, ſtellasque tenes, lunamque moraris!

ARBOR. VITA.

Dum verni riſere dies, nivis inſtar, amoeni
Te flores texere. Graves ubi Sirius aeſtus
Afflavit terris, gratam paſtoribus umbram
Cum grege praebebas. Autumni tempore mites
Abs te carpebam fructus. Nunc frigidus annus
Te foliis ſpoliat. Quantum te diſco magiſtra,
Si ſapio! Tua ſors vitae mortalis imago eſt.

3) Spectri genus Graecis.
4) Imperfectum deſiituit Poeta.

IN CANEM ΟΡΝΙΘΟΚΤΟΝΟΝ.

Trux Canis, immiti non fruſtra concolor orco!
Quem rigidae nuper torpentem frigore brumae
Hoſpitio blando, et calido centone refeci,
Haecne pio reddis Vati? Quid laedere parva
Te potuit volucris, mea ſola, et longa voluptas?
At tibi jam poſthac, ulules licet, improbe Latro!
Oſſa geluque tremas, nunquam mea porta patebit.

L Y R I C A.

IN ILLUD:

Non exies inde, donec reddas noviſſimum Quadrantem. Matth. c. 5. v. 26.

Ergo brevis lux cum ſemel occidit,
Quidquid caducae labis inhaeſerit,
Flammae voraces, et tremendi
Carceris hoſpitium piabunt!

Comperta narro. Non ego mobile
Praedico ſaxum, roſtraque vulturis,
Non perfluas urnas Sororum, aut
A labiis fugitiva poma.

Vox increatae me Sapientiae
Severa terret: Non niſi reddito
Quadrante, quem debes, ſupremo,
Quisquis es, egrediere liber!

Heu qualis ignis! Quae mora carceris!
Quam non movendus juſtitiae rigor!
Quam neſcium flecti tribunal!
Quam pretio redimenda magno

Profana vitae gaudia! Vidimus
Urgente flammas folle ſuper foco
Et ſcoriam ſecerni, et aurum
In liquido fluitare ſtagno.

Digitized by Google

Quid hoc ad ignes, vindice qui rogo
Contaminatis Manibus imminent!
En verba ſaevo mixta fletu
Carcere perſonuere toto:

Vos ſaltem, Amici! vos patientium
Sincera tangat commiſeratio [1],
Queis dextra neglecti Tonantis
Incubat omnipotente nixu!

JOSEPHO II.

ROM. REGI VIENNAM REDUCI [2].

O quam te memorem, Dies!
Dextris ominibus quae Patriae ſuas
Reddis delicias. Age,
Dic carmen latium, Barbite! Principi,
Quem nunc pulcra ſuum vocat
Regem Teutonia! O nobilis aſpici!
O ſolis Genitoribus
Dici digne minor! quo cupidum tuas
Laudes dicere ſubvehis,
Et ſpectare jubes imperioſius?
Specto, quanta nepotibus
Te ſceptrum moderante immineant bona.
Specto Pacis amabile
Foedus cum niveo Pieridum choro,
Et ferrum melius datum
Foecundae Cereri, et Martis in ultimas
Ejectam rabiem plagas.

1) Job. c. XIX. v. 21.
2) 1764.

Tecum divus Honos, almaque Fauſtitas,
  Virtutumque ſororium
Agmen per populos labitur aureo
  Curru conſpicuum. Super
Praepes Fama volat per memores vigil
  Aeternare decus tuum
Faſtos. Hoc Genitrix, maximus hoc Pater
  Mecum ſpectat, et intima
Mulcenti referat pectora gaudio,
  Exemplisque potentibus
Illuſtres Sobolis provocat impetus.
  Sic, dum progenies ferox
Terrae ſacrilegis ſcanderet auſibus
  Fulgentes Superum domos,
Contemplans juvenis nobile Liberi
  In Rhoecum facinus Parens
Jucundum inſonuit ter quater: Ευ Τιε [2]!
  Illam proſpiciens diem,
Qua Natus domita victor ab India,
  Formatisque ſalutifer
Orbi Terrigenum cultibus, altius
  Divinum genus approbet,
Sublimis Lybicae tergore belluae.

2) Nempe: *Egregie, Fili!*

CAROLO PALFFIO

ZEMPLINIENSIUM SUPR. COMITI RENUNTIATO [1].

Quae Tokaini mitibus in jugis
Inter ſonantes Baſſaridum choros
Audace cantas Dithyrambo
Sacra corymbiferi Lyaei,

Deſcende pulcri ad litora Bodrogi,
Zempliniențes qua rigat accolas,
Deſcende, Muſa! et fronde feſta
Virgineos redimita crines

Hunc allabora carminibus diem
Notare dextris! Palffia, Palffia
Te Gens repoſcit digna dudum
Gens cithara, et fidibus Dearum,

Gens auſpicatis in penetralibus
Longo recenſens ordine fumidas
Ceras, et Heroum per omnes
Facta diu celebrata faſtos,

Gens fida avitis relligionibus,
Gens promta dextris, conſilio potens,
Gens patriarum legum amica,
Et ſolii reverens ſacrati.

Haec cernit iſta luce Thereſiae
Juſſu potentis ſumere Carolum
Intaminatos Gens honores,
Et Comitis trabeam ſupremi,

1) Amici Hungari nomine.

Novoque tolli munere Carolum,
Quem celſa virtus, et ſapientia,
Victrixque manans pulcro ab ore
Jam juvenem inſeruit verendo

Patrum Optimatum ſuada ſenatui,
Uſusque rerum Principis auribus
Admovit, atque in luce clara
Caeſareae poſuit Viennae.

O quos tumultus haec nova dignitas
Noſtras per oras laetitiae ciet!
Ut cuncta Zemplini reſultant
Plauſibus oppida, cuncta gaudent

Bene ominato nomine Caroli,
Cui cura recti, juſtitiae vigor,
Legumque majeſtas, et imis
Civium amor reſidens medullis,

Et comitas urbana premunt latus!
O quam ſerenos nuntiat haec dies
Aurora, quae candente noſtra
Nunc vehitur per aprica curru!

Haec, Muſa! pulcri ad litora Bodrogi
Chely per arces differ, et oppida!
Me non parem tantis decebit
Sorte frui tacitum beata.

N O C T I.

Ut cuncta late praeter amabiles
Fontis querelas dulcis habet ſopor!
Ut luna dives fratris igne
Sidereas celebrat choreas!

O Suda coeli! o Regia Numinis!
Quam me cupido blanda tenet tui!
O quando mortales volatu
Deſpiciam tuus hoſpes oras!

M U S I S.

Jamjam flagrantis ſaeva Caniculae
Deceſſit hora, et mitior aureum
Advertit aſtrum Phoebus. Arvis
Pomiferum caput alme tollis

Autumne! Vos, o Pierides! quibus
Cura eſt Poetae, reddite ferias,
Finemque tantiſper laborum!
Grande dein repetemus aequor.

IN ILLUD:

Vocatus eſt autem et Jeſus ad Nuptias. Joh. c. II. v. 2.

Ridendus ille, qui parans Connubium,
Ut priſca gens Quiritium,

Digitized by Google

Cuncta in profanis poneret paratibus
    Auſpicia coeli negligens.
Olim Mariti limen, et pandae fores
    Vivo virebant ceſpite,
Ne Sponſa tenero limen offendens pede
    Siniſtra faceret omina.
Frequens Juventus Heſperi ad primum jubar
    Pingues relinquebat dapes,
Ut advocaret cantibus Thalaſſium
    Jocoſa fundens carmina.
Quid Flammeum, quid deinde concuſſas faces,
    Sparſasque quid memorem nuces.
Hos caeca ritus condidit Gentilitas,
    His inchoavit Nuptias.
Alio tenore mutua ſociat fides
    Dicata Chriſto pectora.
Non jam profanum Nuptias foedus putes;
    Acceſſit ingens dignitas.
Diti ſupernae nempe dono gratiae
    Pii beantur Conjuges.
Hinc quisquis animo caſta volvis vincula,
    Sociamque deſtinas toro,
Felicitatis hujus auſpicem tuas
    Ad Nuptias Jeſum voca!
Non ſolus animum faſcinet formae decor.
    Devota praeda tempori eſt.
Opes, caveto, Pronubas facias tuas!
    Quid non timent Pecuniae?
Stimulos voluptae, carnis illicium feris
    Homo relinque beſtiis.

E L E G I A C A.

Q U E R E L A E [1].

Ergo ego formoſos annos, floremque juventae
  Quiſquilias inter, monſtraque lentus agam!
Et pro carminibus muſcas venabor, et umbras
  Per tot chartarum plauſtra, tomosque ſequar!
Phoebe, Deus Vatum! Num te mortalia fallunt?
  Augurii virtus, praeſcia laurus ubi eſt?
At non haec dederas olim promiſſa clienti,
  Cum coepi Latiis ora movere ſonis.
Et memini, et meminiſſe juvat, dum ſolus ad Iſtri
  Litora Virgilii Paſcua, Rusque tero,
Viſus es ante oculos tu coram aſſiſtere noſtros,
  Pierides inter qualis adeſſe ſoles.
Palla latus texit, tenuit manus altera plectrum,
  Ambiit auricomum laurea grata caput.
Territus aſpectu tibi jam dare terga parabam;
  Tu tamen attonitum ſiſtere, Phoebe! jubes,
Et blando ſimilis: Succedat firmior aetas,
  Care Puer! noſter tu quoque miles eris.
Ah ubi pacta fides? Succeſſit firmior aetas;
  Non tamen in caſtris milito, Phoebe! tuis.
Pulverulenta tenent rauci me ſcamna Lycei,
  Et portentoſis foeta caliginibus.
Triſtibus auſculto Morum, Jurisque Magiſtris,
  Et doctum memori mente repono Nihil.

1) *Ne ſerias putes! Jocatur paſſim Poeta, conditione ſua, dum eas funderet, ut qui maxime, contentus.*

Carceris in ſpeciem me ſpiſſa volumina vallant,
 Ultima barbaries in quibus ipſa cubat.
Quondam ego (non pudet haec tua munera, Phoebe! referre)
 Florebam Auſonii laudibus eloquii.
Me juvenum circum ſuſpenſis auribus adſtans
 Audiit in multam ſaepe corona diem.
Tunc placuit Macedo vicino a funere raptus,
 Quique immaturo funere Gaſto jacet.
Tunc tulit applauſum Proles inducta Galeni
 Conciliata ſibi, conciliata Patri.
Tunc mihi Rhetoricae cantata Palatia [a]), quaeque
 Nunc etiam facilis carmina lector amat.
Heu brevis, et ſummo labio libata voluptas!
 Quam cito me mea ſors, quam cito deſeruit!
Si modo contingat tua moenia, Roma! ſubire,
 Qualia ſub patrio numine Martis erant,
Atque vel in media ſermonem inferre Suburra,
 Aut emere in ſacra poma, nucesve Via;
Illico cerdo aliquis: Quid vult ſibi barbarus hoſpes?
 Dicat: An eſt flavo miſſus ab Arminio?
Non mihi delectus vocum, non ulla nitoris
 Cura. Miſer totum dedidici Latium!
Talis eras quondam, infauſti Praeceptor amoris!
 Cum tulit in Geticum te Ducis ira ſolum.
Nam tua non niſi munditiis aſſueta Latinis
 Auris ad Odryſios horruit icta ſonos.
Sic ego, dum voces, ut ſaxa molaria, cogor
 Projicere, eloquio terreor ipſe meo.
Quid mihi cum *Inſtanti*, quid cum *Signis rationis?*
 Te citus, *Haecceitas!* in mare turbo ferat!
Actus prime, ſecunde! Intentio prima, ſecunda!
 Hisque comes procul hinc cede, *Futuritio!*
Decretum, *Decretales*, *Extra*quev*agantes*,
 Haec perſpecta meis hoſtibus eſſe velim!

a) Modo dicta Poematia in his Collectaneis extant.

Hoſtibus eveniat *Canones*, *Titulos*que citare,
Rubricas digitis enumerare ſuis!
Hi, *quid agat Petrus*, videant, *habito auxilio B.*
Et *Syſtematibus* 3) comminuant cerebrum!
Parcite, honorati Manes! tu, maxime Tulli!
Vosque, Palatinae gloria magna Domus!
Docte Maro, Naſoque tener, feſtive Catulle!
Queisque Chloe, Nemeſis, Cynthia carmen erat 4)!
Si mea barbaries veſtras violaverit aures,
Parcite! Fit levior queſtubus iſte dolor.
Fit levior, quoties non eſt ſine teſte dolendum.
Hinc liceat veſtra plurima pace queri!
Non ego ſum ferro ſcrutatus viſcera Patris;
Vivat, et inferias ad mea buſta ferat!
Non ego Theſſalicas artes, et carmina novi;
Non eſt cuſa mea falſa moneta manu;
Nunquam decepto vetitam cuſtode Tabacam
In patrios fines ad rea lucra tuli;
Et tamen Hebraea, o fatorum injuria! cogor
Incircumciſo gutture verba loqui!
Caligant oculi, *Punctorum* exercitus omnis
Quando nigra in charta virgine caſtra locat.
Affixum dura me ſaepius in cruce figit;
Saepe mihi bilem *mobile Scheva* movet.
Fallor, an eſt laqueo conſtringere colla neceſſe,
Ut bene quis certas proferat ore notas?
Huc ades, o quisquis Parnaſſi ignobilis oſor
Pro Muſis ventrem, pelliculamque foves!
Huc ades, et tenſo ter dic abdomine: *Dugeſch!*
Et Latiae Veneres illico diffugient.
Attonitum interrumpet curſum Pegaſius fons,
Laurus in Aonio vertice mota tremet.

3) Nota Scholaſticorum Τεχνικα.
4) Horatius, Tibullus, Propertius.

Non aliter vetulae nocturna ad carmina Sagae
  Siſtit anhelantes Luna coacta rotas,
Meſſis opima repente, nefas! ſua deſerit arva,
  Et vernae in pratis emoriuntur opes.
His tamen infelix ſtridenti gutture monſtris
  Luctor, ut humanis garrula pica ſonis.
Qui colitis vicina Tago, felicia nuper,
  Nunc tamen heu buſtis obruta rura ſuis 5)!
Parcite de Braſilo pictas adſerre volucres
  Litore! Sat nobis copia magna domi eſt.
Pſittacus eſt eheu! fato quicunque ſiniſtro
  Torquet in Hebraeos flebilis ora modos!
Pſittacus auſpicio noctis meditatur opacae,
  Quae didicit lapſo penſa jocoſa die;
Nos itidem ſtudio vix tandem exhauſta diurno
  Volvimus injecti ſeria penſa toro.
Lethaeos latices, et ſacra papavera teſtor,
  Queis ſua ſomnipotens protegit antra Deus,
Vosque, leves Genii! tacitae qui tempore noctis
  Per thalamos furvis luditis agminibus,
Vique ſoporifera defeſſos ſolvitis artus,
  Et facitis clauſis otia luminibus!
Vos teſtor; meminiſtis enim, quam ſaepe fugarunt
  Vos procul a ſponda barbara verba mea!
Quid non tentaſtis, Turba officioſa! Sed omnes
  Ceſſerunt curis triſtibus illecebrae.
Interea ſuſpiro diem, tardique Bootis
  Increpo prolixas in ſtatione moras.
Audior! Ecce dies! Campana domeſtica tinnit.
  Arietat in portam tetricus admonitor.
Corripio e ſtratis corpus, Sacrisque peractis
  Languidus unde abii, languidior redeo,

5) Terrae motu Ulyſſiponenſi, anno 1755. quo exeunte Carmen hoc ſcriptum fuit.

Scilicet ad pluteum, ad faſtidia nota tomorum,
 Ad res, quae metri vincula ferre negant.
Sic mihi labuntur menſes, ſic deperit aetas,
 Integer in tabum ſic mihi ſanguis abit.
Robore qui modo prae multis, pedibusque valebam,
 Nunc effoeta ſitu vix bene membra traho.
Funereus color eſt ori, vox aegra fatiſcit,
 Nubila frons verax mentis imago meae eſt.
Quinque equidem luſtra exegi, ſi metiar annos,
 Si mala, me Pylii ſecula ferre puto.
Felices horae, dum caros inter amicos,
 Ut lubuit, licuit vivere ad ingenium!
Tunc mea conditio regum ſpernebat honores,
 Tunc mihi vel magno Mogore major eram.
Nunc jubeor cunctis clamoſa indicere bella;
 Non licet illecebris pacis, ut ante, frui.
Pugnandum eſt. Inſtat miſero ferale *Scubellum*,
 Aut remeat laevo *Circulus* [6] auſpicio.
Jam mihi *Suppoſitum*, *Majorve*, *Minorve* negatur,
 Jam *Vitium* invito, *Diſparitasve* [7] datur.
Parcite Vos, quibus haec in me conceſſa poteſtas!
 Quae venit ex pugnis, non mihi fama placet.
Ingenium mihi mite dedit Natura. Receſſus
 Sector, et in votis eſt mihi ſola quies.
Non ego ſum turbis, non ſum clamoribus aptus.
 Pax Muſas, Muſas Pacis alumnus amo.
Frater in obſequium magnae ferat arma Thereſae [8],
 Induperatrices quo volitant Aquilae.
Hic fuget Odryſias Tauruni ad moenia turmas,
 Aut metat in Rheni Lilia litoribus.
Me juvat exortem curarum ducere vitam,
 Atque aliquem vates inter habere locum.

6) Exercitationes olim diſputatoriae in Scholis.
7) Termini Syllogiſmis concertantium.
8) In quo et vitam dein bello Boruſſico poſuit.

Me juvat urbanos procul evitare tumultus.
  Rure habitant Pindi Numina, rure fruar!
Rure novos Phoebi laetus ſpatiabor ad ortus,
  Dum liquidis gemmis ebria prata natant.
Rure mihi nimios quercus moderabitur aeſtus,
  Grataque, quae ſacris fontibus antra ſonant.
Hic per vitiferos ludet mea fiſtula colles,
  Fiſtula, transverſo quae eſt animanda tubo.
Hic etiam ſero pulſabo carmine valles;
  Pulſa meum carmen vallis ad aſtra feret.
Hic te mulcentem noctes, Philomela! ſerenas
  Per nemora, et ripas, per coryleta ſequar.
Hic ego committam fidis mea gaudia fagis.
  Creſcite, fortunae cara tropaea meae!
Hic me praecipue Vatum monumenta tenebunt,
  Quos immortales reddidit ingenium:
Actius, umbra ſuae quem nunc quoque Mergillines,
  Ripaque Sebethi, Pauſilypusque refert,
Ceva! tui luſus, cultique Hugonis amores,
  Isque, ſcopus Satirae cui Philodemus erat 9);
Muſa Metaſtaſii auguſto viſenda cothurno,
  Quam rapuit patriae Caeſaris aula ſuae.
Hic Paſtor, Guarine! tuus notiſſimus orbi,
  Hic tua delicias Fraga, Roberte! dabunt.
Hic tibi cum tantis plaudam, Goldone! theatris,
  Cui vel in Elyſio plaudit Ariſtophanes.
Brockeſium pariter, Trillerum, et carmen Opiti,
  Et qui Telemachi fata, viasque canit,
Et qui famoſos narrat Thuſneldae Hymenaeos,
  Magna meae Gentis nomina ſaepe teram 10).
Saepe teram? Ah ubi ſum! Sors importuna! quibus me
  Non haec promeritum ludis imaginibus!

9) Q. Sectanus, vero nomine Ludov. Sergardus.

10) Non dum norat Autor majora ſuae Gentis nomina, quae deinceps peculiari Elegia celebravit.

Sic videt eſuriens lautas per ſomnia menſas,
Cum tamen evigilat, venter inanis hiat.
Nocte manus numis ſic Morpheus implet avaro;
Mane tamen vacnas invenit ille manus.
Sic puer in fluxa caſtrum molitur arena,
Quod bene vix coeptum ventus, et unda ferunt.
Nil ago. Fatorum ſtat inexorabilis ordo,
Et mea vult a me diphthera bella geri.
Cum fera cognatam Romam miſceret Enyo,
Magnus et in Socerum ſumeret arma Gener [11];
Bella inviſa quidem, ſed maxima praemia belli,
Arbitra pars victrix Urbis et Orbis erat.
Aſt ego bella gero nullos habitura triumphos,
Praeda ubi victorem nulla manere poteſt.
Quanquam, ſi variat vires in milite cauſſa,
Rarius hic victor, ſaepeque victus ero.
Ecquid enim tanti eſt: Quidnam hic, quid ſenſerit ille;
Ut mihi clamanti viſcera diſſiliant?
An tanti eſt: Rem, ſi fieret, ſic ſcire futuram;
Inde mihi ut cupiam conciliare phthyſin?
Haec tamen incaſſum. Rapiunt ſuſpiria venti.
Sed neque tu cauſſam, Phoebe! clientis agis.
Una meis reſtat medicina doloribus. Uno
Intuitu conor fortiter eſſe miſer.
Ille meus Vates, Muſarum cura, Secundus [12]
Arma etiam invitus, militiamque tulit.
Ille inter gemitus galea celavit ahena,
Quas poterant Phoebi ſerta decere, comas.
Ille fuit claris Teuto natalibus. Ortum
Me quoque Teutonico glorior eſſe ſolo.
Ille a limitibus nigros arcebat Iberos.
Hos procul a pluteo quam cuperem eſſe meo!

11) Cn. Pompejus in C. Jul. Caeſarem.
12) Petrus Lotichius.

Ille male accitis Hunnis, ego praelior umbris;
    Hactenus arohetypo conſtat imago ſuo.
Ille, ubi caeſareis favit victoria ſignis [13],
    Atque cruentatis fluctibus Albis iit,
Pieridum templis votivum detulit enſem,
    Et faſtiditae cingula militiae;
Mox Patriam ſoſpes, carosque reviſit amicos,
    Mutavitque ſacra tela profana chely.
Plauſiſti reduci, Cynthi nitidiſſime! Vati,
    Aedera! te ripae vix tenuere tuae.
Ille ſuis repetens aſſuetas cantibus umbras
    Se totum Aonidum reddidit obſequio.
Hei mihi! Quid ſperem? Num, quae riſere Secundo
    Fata mihi pariter dextra futura putem?
Anne dies veniet, qua dura compede ſolvar,
    Inque ſacris Vatum cenſear agminibus?
Nuper, ubi autumno fervens deceſſerat aeſtas,
    Ut ſolet, inviſae conticuere ſcholae.
Tunc habitare decem licuit mihi rure diebus;
    Fallor, an una dies, fallor, an hora fuit?
Mons ibi deſpectat ſubjectos arduus agros
    Muneribus dives, Bacche, Ceresque! tuis.
Ille diu cupidis referet mea gaudia Nymphis,
    Ille breve in fagi cortice carmen habet,
Serus ad albentes quod cantet Vinitor auras,
    Reddat et imparibus Paſtor arundinibus.
Hic ego pampinea recubans ſecurus in umbra
    Tradebam dulci pectora deſidiae.
Hic mihi formoſum ſolers natura theatrum,
    Atque ſuas oculis larga pararat opes.
Hinc Grajoduri [14] turres, et moenia ſpecto,
    Quae ſuper Arx forti prominet alta jugo.

13) Ad Mühlbergam a. 1557.

14) Sive Graecii Styrorum.

Inde Carinthiacae ſe condunt nubibus Alpes.
  Ille vapor Murae flexile ſignat iter.
Adde tot Heroum cunas, Caſtella, propinquis
  Collibus, antiquae nobilitatis opus.
Hujus ego ſcenae pellectus amoribus: O rus!
  Ingemino: o ſtudiis apta palaeſtra meis!
O nemora! o caris quaeſita ſilentia Muſis!
  Quis det, ut in veſtro contumuler gremio!
Quis det, ut a magnis ſemper procul urbibus abſim!
  Urbe meos hoſtes magna habitare velim.
Me juvenum ſelecta cohors tua Sacra ferentem
  Fontis ad Aonii, Phoebe! ſequatur aquas;
Seu qua vicinos Moravos Szakolcza tuetur,
  Seu qua Jaurinum caerulus Iſter adit.
Dum potiar votis, quin frigida tecta Leobi [15]
  Jam tuus haud nuper, Styria! civis amem.
Audiit orantem; quid enim non audit Olympus.
  Annuat, id ſupereſt, et rata vota velit!
Cuncta dabit tempus. Quod ſi mihi ferrea Clotho
  Dura, quod heu metuo! ſtamina continuat;
Si mea ſtella mihi nulla eſt placabilis arte,
  Si procul a Pindo cogor obire diem,
Extremum id noſtro, Socii! date munus amori,
  Atque haec in tumulo verba notate meo:
Huic cineri leſſum pullae properate Camenae!
  Qui jacet hic, veſter, ſi licuiſſet [16], erat.
Quas ſua non potuit vivens ad plectra vocare,
  Ad tumulum ſaltem mortuus ecce vocat!

15) In tribus hic dictis locis Provincia Auſtriaca S. J. Juvenes ſuos a tirocinio humanioribus literis denuo percolebat.

16) Licuit enim vero; ut 13. anni elegantiori Literaturae in Caeſ. R. Thereſ. Collegio docendae impenſi, et Carmina patria bene multa ab Autore edita teſtantur.

IN ILLUD:

Remanſit Puer Jeſus in Jeruſalem. Luc. c. II. v. 43.

Virgo redux Solymis, fido comitata Marito
Reſpicit, et Jeſum cernit abeſſe ſuum.
Ergo retro properans (Properanti amor addidit alas)
Forſan, ait: noto cum grege junxit iter.
Obvia Cognatis: Ubi Filius? anxia quaerit:
Natus an in veſtro eſt agmine? Turba negat.
Materni micuere ſinus. Calor oſſa reliquit,
Et facies ſubitis imbribus immaduit.
Lux mea! clamabat: quis te mihi caſus ademit?
Abſtulit immitis verba ſuprema dolor.
Lux mea! quem ſequeris callem? Quo tramite pergis?
Hei mihi! nocturnis praeda futura feris!
Sic tua tecum igitur creſcunt adverſa? Miſello
In ſtabulo naſci non fuit ergo ſatis?
Non fuit ergo ſatis vix natum ad funera poſci?
Non ſatis, afflictae tot mala ferre fugae?
Fallor, an ille ferox rediit regnator Idumes,
Denique ut in caſſes te trahat arte ſuas?
Ah utinam audires, Fili! lamenta Parentis,
Quae modo deſertis jacto cacuminibus!
Audiit intonſum nemus, et juga collis aprici,
Gens volucrum in ramis audiit, et tacuit.
Aura leves flatus, rivus vaga murmura preſſit;
Echo ſola ſoni reddidit officium.
Interea Virgo cura ſtimulante citatis
Ad Solymae muros paſſibus urget iter.
Macte animo, Virgo! Solymae tua gaudia ſervant.
Templa dabunt, quod ames. I modo, Templa pete!

Invenies Jeſum. Docto ſedet agmine cinctus.
  Turba frequens Nati pendet ab ore tui.
Res agit ille ſui (noli contendere!) Patris.
  Eſt tuus, haud dubita! ſed fuit ante Patris.
Nunc tamen amplexu toleratum ulciſcere luctum!
  Duc domum! Erit poſthac ſubditus ille tibi.

IN ILLUD:

Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galileae. Joh. c. II. v. 11.

Cui primum oſtenſa eſt divina potentia Chriſti,
  Quando erat in noſtro corpore, Cana fuit.
Hic primum natura ſuos tranſcendere vires
  Juſſa merum vidit, quod fueratis, aquae!
Ille quidem caecis oculorum reddidit uſum,
  Ille orci genios expulit hoſpitio;
Illius imperio cito deſeruere grabatum,
  Spes humana quibus nulla ſalutis erat.
Ipſe per hunc (Quidquid contra, mors ſaeva! fremebas)
  Lazarus obſcuro prodiit e tumulo.
Prima tamen vino data ſunt miracula. Primum
  Hydria conſpecta eſt fundere prodigium.
Optio ſi tibi jam contingeret iſta, Philoene!
  Aut facere hoc primum, aut cetera, quid faceres?
Scilicet haud premeret te leprae cura fugandae,
  Nulla foret caecis reddere cura diem.
Pace tua grallis regeret veſtigia claudus,
  Pace tua eſuriens plebs ſine pane foret.
Per te dormirent nullo turbante ſepulti;
  Nec tibi prodeſſet, Lazare! quarta dies.

Hydria ſola tuas vires ſentiret, opinor;
Hydria ſola tibi ſi modo ſufficeret.
Fallor, an intueor per te montana Tokai
In prope ſubjectum praecipitata vadum?
Fallor, an in pelago ſubſultant ebria cete,
Et Batavus remo non niſi vina ferit?

DE HODIERNIS GERMANIAE POETIS.

Non Tameſis, non Tibris habet, non Sequana tantum
Nomina divinis inclita carminibus;
Sunt etiam, queis ſe jactet Germania, Bardi,
Queis arcet ſummam querna corona diem.
Haec me Muſa jubet tenero dilecta Tibullo
Ad populos numeris faricr Auſoniis,
Dum me rura tenent autumni tempore primo,
Eſtque in conſpectu magna Vienna meo,
Atque ſacris umbris mea protegit otia quercus,
Aſſultatque meis garrula lympha ſonis.
Audiat haec Tameſis, Tibriſque, et Sequana, nec ſe
Teutoniae poſthac anteferant fluviis.
Tu quoque, quem diva Caeſar cum Matre ſedere
In ſancto Patrum concilio voluit,
Qui, ſimul indulgent tibi publica commoda, laetus
Fontis Apollinei nectare labra rigas,
Haec audi, Geblere [1]! Tuis inſtantia diſcent
Auſpiciis Elegi vincere fata mei.
Serius Aoniae nos reſpexere Puellae,
Serius! Hoc veſtra dixero pace, Deae!
Nam culpam, ſiqua eſt, modo compenſaſtis abunde,
Solviſtisque moram foenore multiplici.

1) Auſtriae et Boh. Procancellarius, Literatorum fautor literatus, a. 1786. vivis exemtus.

En rapit exardens ſacro Klopſtockius oeſtro
Pendula plectra tuis, Arx Solymaea! tholis,
Aeternaeque canit Sobolis de morte triumphum,
Qui miſeris rupit vincula Terrigenis.
Illi panduntur Superum fulgentia templa,
Illi poenarum regna profunda patent.
Coeleſtes vatem in numerum plaudentibus alis
Circumdant Genii, conſociantque melos.
At Genus humanum cantantibus adſtupet, et nunc
Inſolitae laxat pectora laetitiae;
Nunc horrore ſacro quatitur, nunc pallor in ore,
Nunc rubor eſt, dulces nunc properant lacrimae.
Salve, Teutonico primum decus addite Pindo!
Maeonides ſenſu, Maeonides numero!
Salve, et divinam ſic mox Meſſiada comple [2],
Ut tuus in ſcena nunc placet Arminius!
Haec Iſtri tibi vota facit de litore Vates,
Cui in amicitia gloria ſumma tua eſt.
Tu quoque conſimili junctus mihi foedere, Gleimi!
Ultima victurum in ſecula nomen habes.
Sume tubam! Tyrtaeus eris, Spartana juventus
Quo duce Meſſenes concita fregit opes.
Sume lyram! Cytherea Senem rediiſſe putabit,
Cui roſa, ver, et amor, vinaque carmen erant [3].
Muſa, Syracoſio quae coepit ludere verſu,
Et mox Auſoniis luſit arundinibus,
Helveticis Juvenem ſibi nunc delegit in umbris
Mulcentem patrias carmine Hamadryadas.
Geſsnerum montes, Geſsnerum in vallibus udae
Per ripas ſalices, et nemus omne ſonant.

2) Nondum ediderat tunc Partem IV. et ultimam Vir ſummus, celebratior fortaſſis (o Seculi probrum!) ſi aliam ſumſiſſet materiam.
3) Nempe Anacreontem.

Illius et Tameſis cantus, et Sequana diſcit [4],
Et Popio ſocium, Segreſioque facit.
Quis vero ille, novem puerum quem ſaepe Sorores
Seduxere ſacras blandius in latebras,
Et dulci pavere favo, et ſparſere corollis,
Et molli fotum continuere ſinu,
Et dixere: Puer! votis ſuccreſcito noſtris!
Teutoniae quondam tu quoque doctor eris.
Gellertus votis ſuccrevit, Numina! veſtris.
Ecce docet totam Fabula Teutoniam,
Aequans ſimplicitate Phrygem, Phaedrumque nitore,
Fontano ſalibus par, ſatiraque prior.
Ramlerum cum Rege ſuo [5] pernicibus alis
Fama mori prohibens ſidera ad alta vehit.
Rex agit. Hic Latiae felix teſtudinis heres
Fortiter acta manu fortiter ore ſonat.
Hunc terite, o Pueri! Nam, quantum carmine Flacci,
Tantum virginei fronte Maronis habet.
Nunc inter violas tua ludit, amabilis Uzi!
Melpomene umbroſi fontis ad illecebras;
Nunc ſe tollit humo vitae divina magiſtra;
Nunc avium regem poſt ſua terga videt.
Ah citharam ne pone, precor! cultiſſime Vatum!
Teutoniae ſi quid fama, precesque movent!
Poſt Situlam raptam, ſubſectum fraude Capillum,
Et, ſacri belli materiem, Pluteum [6],
Neſcio, quid majus Phaeton tibi, Patria! donat,
Et Catus ante diem traditus Elyſio,
Et quod praeterea per Brunſvicenſia rura
Ridiculo terram ſyrmate verrit Epos [7].

4) Traductis videlicet ejus *Idylliis.*
5) Friderico II. Heroe Boruſſo.
6) Scilicet Taſſonem, Popium, et Boilaeum.
7) Frid. Wilh. Zachariae Epopoejae Comicae.

Quid memorem Helveticas celebrantem verſibus Alpes,
Quem ſuper has Alpes maſcula muſa tulit [8];
Quid cantata tibi prima, Wielande! juventa
Carmina virtuti ſacra et amicitiae;
Quid patriam Sappho [9], quid te, ſuaviſſime Weiſſi!
Te, Kretſchmanne, tuae gloria Zittaviae!
Denique te veteres revocantem a funere Scaldos [10],
Quemque ſuo retinet Gleimius in gremio [11],
Et te, qua celebri tua prole Vienna ſuperbit,
Care mihi longa, Maſtaliere! ſide!
Vatibus his fruimur vivis [12]. Sed avara duobus
Eſſe negaverunt fata ſuperſtitibus.
Ad patrium liquit triſtes Hagedornius Albim
Relliquias. Muſae! ſpargite humum foliis,
Et querulo cantu Manes ad buſta vocate!
Hic veſtrum inter nos protulit imperium.
Hunc Patrem dixit Vatum omnis turba, tulitque
Hoc duce feſtinos ad juga veſtra pedes.
Alter Brennorum fortiſſima ſigna ſecutus
Fila lyrae movit, qua tulit arma, manu.
Nunc jacet immitis ſub tempeſtate Gradivi
Perditus ad ripas, moeſte Viadre! tuas.
Dicite, Pierides! Quae vos tenuere vireta,
Vulnere dum ſaevo Kleiſtius occubuit?
At ſaltem, redeunt dum tempora verna, quotannis
Cantori Veris munera verna date!
Hi Patriae decora alta meae. Sed parcite, Muſae!
Unum ſi Patriae conquerar ore meae!

8) Alb. Hallerum.

9) Annam Lud. Karſchiam.

10) J. Wilh. Gerſtenbergium.

11) J. Georg. Jacobi.

12) At, dum haec edimus, Geſsnerus, Gellertus, Zachariae, Hallerus ad plures abiere, in quorum tamen locum praeclara ſucceſſerunt ingenia, quorum indicem texere longum foret.

Cur minus in ſoccum faciles, minus inque cothurnum?
  Propitio quid adhuc numine Scena caret?
Eſt, Leſſinge! tibi, Weiſsi! tibi fama, fatemur,
  Eſt ſua Gellerto, Schlegelioque ſimul;
Quin etiam patriis auguſta Vienna theatris
  Mittere non unum nobile coepit opus.
Si tamen Auſonios, ſi Gallos, atque Britannos
  Reſpicimus, certe non leve reſtat iter.
Spes brevis una pias Cronegkius ivit ad umbras,
  Altera ſorte pari Bravius interiit.
E Juvenum tumulis exurgat Dramatis auſpex,
  Qui reliquis moveat gentibus invidiam!
Hoc date, ſi vobis, Muſae! mea carmina cordi!
  Teutoniae ſerto haec unica gemma deeſt.
At vos, o patrii; genus immortale, Poetae!
  Pergite, Majorum quo via trita vocat.
Non pede ſervili externos inſiſtite calles;
  Qua lubet, incedant Gallus, et Auſonius.
Vos regum comites, belli, pacisque miniſtros
  Patria vult Bardos, nomina ſacra, ſequi.
Fatidica hi quondam redimiti tempora quercu
  Carmine virtuti praemia digna dabant;
Horum erat egregia pro libertate ruentes
  Cantibus in pugnas extimulare ſuis,
Et fortes celebrare animas, belloque peremtos,
  Diſceret ut patrum grandia facta nepos.
Non molles illis moduli, ſed martia metra,
  Ut populi ingenium, ſic quoque verſus erat.
Hos ſit cura ſequi. Sic, quantum vincimus armis,
  Vincemus cunctos carminibus populos.

PIUS VI. P. MAX.

JOSEPHI II. AUG. HOSPES.

O tu, quae major ſolio, ſceptroque caduco
  Cognati ouper parte recepta Poli es,
Atque immortali ſerto, pallaque recumbens
  Stelligera auxiſti Concilium Superum!
Noſter amor quondam, poſt heu dolor, et modo divos
  Inter habenda tuis Gentibus Indigetes!
Coeleſtes animos ſi quid Mortalia tanguot,
  Si quid adhuc dulce eſt oominis Auſtriaci,
Si, tibi quae dedimus raptae lamenta Pareoti,
  Maternis remanent condita viſceribus,
Alma Thereſa! tuis dignare obtutibus urbem,
  Quam tibi ſubmiſſis Iſter obibat aquis,
Ioduperatorum claram longo ordioe ſedem,
  Quae mundo, et coelo te quoque, Diva! dedit.
Cerne, quis auguſtis veniat penetralibus Hoſpes,
  Cu'us in occurſum, et brachia Caeſar eat.
Numiois ioterpres ſummi, ſanctusque Sacerdos
  De Vaticaoi vertice montis adeſt;
Jam ſenior, ſed oulla Virum inclementia coeli,
  Longae oulla viae terruit aſperitas,
Quio contra Majorum uſum, mooitusque Suorum
  Deſereret caram fortiter Auſoniam,
Atque affectaret Joſephi Caeſaris ora
  Pellitae procul io limite Paooooiae,
Caeſaris ora tui, cujus virtutibus orbis
  Totus ad extremos perſonat Aotipodas.
Illum linqueotem Capitolia celſa Senatus
  Purpureus, Patres, concita Roma! tui,
Atque memor pia Plebs aevi brevis agmine denſo,
  Pars lacrimis, laetis pars tenet ominibus.

Arcibus ille tamen Tarpejis fauſta precatus
   Exiguo comitum cum grege adurget iter,
Caeſaris exemplo, dum ſeptem viſere Colles
   Iret ab amplexu, Mater amata! tuo.
Jamque propinquanti mediis de fluctibus Iſter
   Surgit, et incano vertice pronus ait:
Antiquus ſluo, ſed nondum haec ſpectacula vidi.
   Pontificum primus litora noſtra premis.
Salve, o Romuleae decus immortale Tiarae!
   Salve, ſancte Senex! nomine, reque Pie!
Cetius haec antris repetit vocalibus, et mox
   Turribus haec reddit magna Vienna ſuis.
Obvius interea venienti Caeſar ut ardet
   Jungere ſacratis pectora pectoribus!
Ut Pius Auguſtum complectitur! Ut bene certat
   Officium Nati cum Patris officio!
Ut ſe colluſtrant duo maxima Lumina mundi!
   Alter ab alterius totus ut igne calet!
Quin etiam lacrimas, ſinceri pignus amoris,
   Caeſaris, atque Pii, Mater! in ore nota.
O niſi Terricolis ſolum has natura dediſſet,
   Si Superis etiam ſuppeterent lacrimae,
Teſtes laetitiae guttas tibi cerneret Aether
   Nunc quoque per dias dulciter ire genas!
Aſpectu fruere o ſaltem, Numenque precare,
   Caeſaris, atque Pii proſperet Hoſpitium,
Quosque ſuo voluit per gentes munere fungi,
   Aeternum ſtabili ſervet amicitia!
Fallimur, an ſubito Zephyri ſonuere tepentes?
   An ſubito facie ſol meliore nitet?
Omen adeſt! Populis quod erat, dum vita manebat,
   Eſt et apud Superos alma Thereſa, ſuis.

PARAFRASE ITALIANA

DELL' AUTORE.

O tu, che dello ſcettro e ſoglio frale
Maggior volaſti al tuo cognato Polo,
E là nell' adunanza de' Beati
D' immortal ſerto, e di ſtellato ammanto
Adorna ſiedi! Un tempo amor de' Tuoi,
E poi dolor, e omai d' aver il nome
Tra Genj tutelari della Patria
Ben degna! O ſe mortali coſe ponno
Far impreſſion in anime celeſti,
Se dolce a te pur ſempre è d' Auſtria il nome,
Se ancor nelle tue viſcere materne
Rinchiuſi ſtan i noſtri amari pianti
Sparti per te, deh volgi, alma Tereſa!
Lo ſguardo a queſte mura, intorno a cui
L' Iſtro guidava le onde a te ſoggette,
De' Ceſari famoſa antica ſede,
In cui naſceſti, o Diva! al mondo, e al cielo.
Mira, qual s' avvicina ai tetti auguſti
Oſpite eccelſo, a cui Giuſeppe incontro
Sen va con braccia aperte! Vien del Nume
L' Interprete dal giogo Vaticano,
Il venerabil Sacerdote, d' anni
Carco bensì; ma che per tanto ad onta
Dell' algente ſtagion, e del diſagio
Del lungo erto cammin, contro il coſtume
De' Preceſſor, ed il parer de' Suoi
Laſciò con fermo cor l' Auſonia amata,
E lungi nel confin de' pellicciati
Pannoni di Giuſeppe al volto aſpira,
Diva Tereſa! al volto del tuo Figlio,

Del quale le virtudi il mondo intero
Sin dagli eſtremi Antipodi rammenta.
Quando dall' alto Campidoglio ſceſe,
Toſto il Conſeſſo porporato, i Padri
Della commoſſa Roma, e il Popol tutto
Memore omai delle vicende umane
Or con lagrime, ed or con deſtri augurj
In folla il riteneano, ma indarno!
Che alla Rupe Tarpea dando un addio
Da Padre amante omai con picciol ſtuolo
Preme il cammin, di Ceſare all' eſempio,
Quando dalle tue braccia, amata Madre!
Sen giva a rimirar i ſette colli.
Eccolo giunto all' Iſtro! In mezzo ai flutti
S' erge il canuto Dio, e lo ſaluta:
Vechio ſon io; ma un tal ſpettacol mai
Viddero gli occhi miei. Le noſtre ſponde
Tu primo de' Pontefici toccaſti.
Jo ti ſaluto, o immortal onore
Della Tiara! Santo Vechio! Pio,
Qual ti dichara il nome! Jo ti ſaluto!
Dagli antri ſuoi romoreggianti intorno
Riſponde l'alto Cezio a queſti accenti,
E dalle antiche torri ripercoſſa
La gran Città dell' Auſtria li rimanda.
Incontro allo Stranier s' affretta intanto
Auguſto, ed oh quanto arde il ſagro petto
Strignerne al ſuo! E come Pio l'abbraccia!
Quanto gareggia col dover del Figlio
Quello del Padre! Quanto della terra
S' irraggian a vicenda i più gran Lumi!
Quanto dell' uno al fuoco avampa l'altro!
Anzi l'umide ciglia d'amendue,
Pegno d'amor ſincero, o Madre! oſſerva!
Ah ſe non foſſe il lagrimar già dato

Solo a Mortali, ſe laſsù nel cielo
Vena di pianto tuttavia ſcorreſſe,
Vedrebbe or' ora il ciel ſtille di gioia
Bagnarti il volto, o Diva! dolcemente!
Del grato aſpetto godi almen, e muovi
L' Arbitro delle coſe a proſperare
Di Pio, e di Giuſeppe l'almo Oſpizio,
E il nodo indiſſolubil d'amiſtade
Ad eternar fra quelli, i quali al mondo
Rappreſentan di lui l'eccelſa immago.
Ma che! Tepidi a un tratto intorno intorno
Scherzano i Zeffiretti? A un tratto il ſole
Vibra ſplendor più puro? O lieto augurio!
Qual' era in terra a popoli ſoggetti,
Tal' e Tereſa nell' eteree sfere.

HOMO NAVIS.

Navigium corpus, mens candida rectaque Nauta eſt.
Hic ſi defuerit, vae tibi, Navigium!

MARS ET MORS.

Mars et Mors domini ſemper certaminis, eſtque
Nobile Martis opus flebile Mortis opus.

Digitized by Google

DE D. FRANCISCO XAVERIO [1].

Emenſo poſuit metas Tirynthius orbe;
Metas Franciſci neſcit anhelus amor.
Herculeus labor eſt, metas poſuiſſe labori;
Eſt plus quam Herculeus non poſuiſſe labor.

AEGER MOROSUS.

Nuper ubi Medicus venam tentaret Ofelli,
Diceret et: Male te febricitare puto.
Protinus iratus Medico reſpondit Ofellus:
Si noſti melius febricitare, jace!

LAUS COACTA, NULLA.

Cur me praeconem factorum, Marce! tuorum
Exigis? Extollam cur tua cuncta tibi?
Si vis laudari, me cogere deſine! Namque,
Quae non ſponte datur laus tibi, nulla datur.

REPERTOR SAPIENTIS.

Ne mirare, tibi Sapientem haud eſſe repertum!
Hunc reperit nemo, Vare! niſi Sapiens.

1) In itinere Sinico extincto.

TUMULUS CICERONIS.

Hic jacet heu Latiae facundia maxima linguae,
Lux Oratorum, gloria ſumma Togae!
Ne te poeniteat, lapidi dare baſia pronum,
Ipſius os Romae nam tegit iſte lapis.

CANDIDATO POETICES.

Carmina pauca facis. Num tu feciſſe Maronem,
Dum coepit Muſis ſe dare, multa putas?
Principium Vati tanto Baliſta ſepultus,
Et Culicis fatum, verſaque Ciris erat.
Tu quoque, qui tenui nunc luſtras litora cymba,
Grandia mox altum per mare vela dabis.

VIOLAS OFFERENTI.

Ut tua magna jubet Patriam ſperare Juventus,
Sic vernas Violae nunciat ortus opes.
Ut tu virtutis gratum diffundis odorem,
E Violis gratus ſic quoque ſpirat odor.
Ut tibi prae reliquis formoſa modeſtia cordi eſt,
Sic Viola eſt faſtus neſcia, ſerpit humi.
In Violis igitur tua cum ſpectetur imago,
Nonne mihi te das, dum mihi das Violas?

QUAE HODIE LIBRUM

COMMENDENT.

Sperne thronos, Clero [1] inſulta, myſteria jacta,
Spurca doce, ride Sacra! Legêre, Liber!

TYPOGRAPHIAE INSTAURATIO.

Quod nuper fuerat tibi Baſkervillius, Angle!
Quodque, Hiſpane! tibi nuper Ibarra fuit,
Bodonus quod nunc Italo eſt, Galloque Didotus,
Quis, Germane! tibi, quis, vel an ullus erit?
Haec mihi quaerenti auriculam Germania vellit:
Quid dubitas? Gemmas aſpice Caeſareas [2]!

FRID. JOSIAE SAXONI COBURG.

TURCARUM VICTORI.

Quo tecum innumeram, Thracum Vaniſſime! turbam
Praecipitas? Tumidum pone ſupercilium!
Parva quidem manus eſt, in quam ruis; attamen illam
Herous, potior millibus, ardor agit.
Pannon eques, Teuto pedes eſt, cui ſanguine clarus
Saxonico fauſtis imperat alitibus.
Ferrea, quae vectas, an vincla pavebit, Amoris
Aurea quem nectunt cum Duce vincla ſuo?

1) *Aut nova ſunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda.* Cicero Acad. I. §. 7.

2) Amici Joſ. Eckhelii Numophylacis Caeſ. Commentariis illuſtratas, et ſormis Kurzbeckianis excuſas Viennae 1788. f.

GEDEONI LAUDONIO

BELGRADI EXPUGNATORI.

Quae per luſtra decem Tauruni inſederat arces
Effulgens nimbo Luna procellifero,
Hanc modo confractis dejecit cornibus Heros
Induperatricem ſubſtituens Aquilam.
Mars pater! emeritis lauros ſuperaddito canis!
Fama! Viro reple ſolis utramque domum!
Eugenium reducem petiiſtis, publica Vota
Eſt in Laudonio, ſiſtite, Vota! redux.

ANDREAE HADIKII TUMULUS.

Hadikii ad Tumulum pullae inviſere Sorores:
Relligio, Virtus bellica, priſca Fides.
Coelicolas habuit me conciliante faventes:
Dixit, et accendit lampada Relligio.
Hoſtibus effeci metuendum: bellica Virtus
Dixit, et in Tumulum laurea ſerta dedit.
Priſca Fides: Hominum per me ſibi corda paravit:
Dixit, et appendit cor Tumulo niveum.
Quarta ſuperveniens: Me vel galeatus amavit:
Dixit, et haec ſcripſit pro Tumulo Sophia:
Hadikios, Superi! ſi vobis tollitis, inter
Degere Terrigenas longius haud volupe eſt.

DE MORTE JOSEPHI II. AUG.

Caeſaris ut corpus nimii fregere labores,
Mors: Animum frangam! dixit, et haud potuit.

LEOPOLDO II. AUG.

Te Patris Probitas, Matris Clementia, Fratris
Sedulitas, Proavi Nomen ad aſtra ferent.

CATHARINAE II.

VICTRICI, PACIFERAE.

Roſſiacas niveis Proras Victoria pennis
Antevolat. Thracum turgida Claſſis ubi eſt?
Arma, Viros, tabulas, antennas, vela, rudentes
Adſpice Boſphorico ſparſa natare ſalo,
Et Byzantinis in turribus intremere ipſum
Femineo Selymum cum grege Semivirûm.
Hoc deerat. Primis reſpondent Ultima. Pacem
Munere jam divae Principis, Orbis! habe.
Pacem, quam raro Victrix moderamine, cunctis
Inconcuſſa minis, obtulit, Orbis! habe,
Coelicolasque roga, longo ut tibi fulgeat aevo
Et ſecli, et ſexus lux Catharina ſui.

AD TUMULUM

JOSEPHI SPERGESII.

Tu quoque, Spergeſi! antiquae virtutis Imago!
Ire jubes triſtes flebilis exequias,
Cui Pietas, Doctrina, Fides, Prudentia, morum
Candor, et Integritas quando parem invenient?
Te Puerum ſacris Muſae lavere fluentis,
Invidit Muſis alma Themis Juvenem.

Tu tamen, ut primum toga erat Tibi ſumta virilis,
Rivales noſti conciliare Deas.
Hinc monumenta Tibi Populorum cuncta patebant,
Et quidquid priſca traditur Hiſtoria,
Quodque recens faſtis per Gentes condidit Aetas;
Hinc Tibi fons Latii limpidus eloquii;
Utilis hinc opera exactos ſine labe per annos
Et Patriae, et divis praeſtita Caeſaribus.
Haec immaturo ſibi funere rapta Vienna,
Haec Tua Tyrolis deſlet, et Inſubria.
Nos quoque, ſincero quos caros corde ferebas,
Flere jubet ſanctae nomen Amicitiae,
Teque inter gemitus ſupremum voce vocare,
Addite, Spergeſi candide! Coelicolis!

TYCHONIS BRAHAEI CEL. ASTRONOMI

SYMBOLUM:

SUSPICE ET DESPICE.

ACCOMMODATUM MAXIMIL. HELLIO CEL. ASTRONOMO
VIVIS EXEMTO.

Corpore dum poſito levior, tellure relicta,
Candidus ad Superos Hellius urget iter,
Et nunc has Stellas, nunc illas transvolat, inquit:
Sat vos ſuſpexi, deſpicere incipiam.

AD TUMULUM

HENRICI JOH. KERENII

PRAESULIS HIPPOLYTANI

AN. M. DCC. XCII. PRID. KAL. DEC.

O mihi ſalvete aeternum, aeternumque valete,
Queis adſto, cari Praeſulis Exuviae!
Henrice! iviſti, quo Te Tua vota trahebant!
Auribus haeret adhuc vox Tua ſumma meis:
Diſſolvi cupio. Sed quid cupiamus Amici?
Quid cupiam ſine Te, Fautor ademte! Cliens?
Tu prior aetheriae ſubſtaſti ſemina flammae,
Quae latuere meis condita pectoribus.
Tu Vati mihi Phoebus eras, populoque probandam
Se mea Muſa Tuo praebuit admonitu.
Utque probata fuit, Te nemo beatior ibat,
Inde foret veluti gloria parta Tibi.
Tu mihi ſcribenti hortator; Tibi ſcripta placere
Uber erat liquidae fons mihi laetitiae.
Cura Tibi, Divae me commendare Thereſae,
Munereque auguſtae me cumulare manus.
Sic ego Te colui, ſic Tu me ſemper amaſti;
Sed Tuus extremo tempore crevit amor.
Namque Tuo Tecum voluiſti rure quotannis
Veris et autumni carpere delicias.
Piniferi montes, flaventia meſſibus arva,
Traiſaque [1], tu melius ſaepe docenda viam!
O Loca perpetuo mihi ſacra futura! foveri
Noſter amat veſtris luctus imaginibus!

1) Torrens Accolis ſaepe injurius.

O quoties veſtris aeſtus vitavimus umbris
Fallentes dulci tempora colloquio!
Materies ſermonis erant: aut Conditor orbis,
Aut telluris opes, aut opera agricolae,
Aut doctorum aevi varii monumenta virorum,
Aut vetus, aut noſtri temporis hiſtoria.
Et nunc per ſilvas juvit reptare ſalubres,
Nunc in muſcoſo ponere membra ſolo,
Nunc cupida bibere aure melos ſublimis alaudae
Mitibus in pratis ſole ſub occiduo.
Hic ſtipare Tuum licuit latus, optime Praeſul!
Cujus inexhauſtus fluxit ab ore lepos.
Hic licuit! Sed, quae nunc rura beata frequentas,
Heu procul e terris turbidus adſpicio,
Exuviisque adſtans lacrimor, verbisque ſupremis
Haec teſtata meae Senſa velim Patriae:
Henrico debes, ſi quid Tibi protulit unquam
Te non indignum, Patria! Deniſius.

AUGUSTO

AD D. STEPHANI FANUM DOM. PASCH.

PROCEDENTE.

Non, quia Lex jubet, aut miſcet Petulantia cives,
Non, quia vult Uſus, ſed quia dictat Amor,
Quacumque inveheris, loca plauſibus omnia fervent.
Per medios, Caeſar! Teutonas inveheris.

Digitized by Google

EPIGRAPHICA.

IMPERATORIBUS ROM. GERM.

FAUTORIBUS ARTIUM.

I.

IMP. CAES. MAXIMILIANO. I. P. F. AVG.
QVOD
ARTEIS. LIBERALEIS. IN. GERMANIAM. INDUXIT
INGENIO. ADIVVIT. SPECTACVLIS. ALVIT
ALBERTVM. DVRERVM
SCHOLAE. PATRIAE. PARENTEM
CARVM. HABVIT.

II.

IMP. CAES. RUDOLPHO. II. P. F. AUG.
QVOD
ADCITIS. ARTIFICIBVS. PRAESTANTISSVMIS
ARTEIS. LIBERALEIS. IN. GERMANIA. ITA. EXCOLVIT
ET. BENEFICENTIA. FOVIT
VT. PARVM. HABERENT
QVOD. INVIDERENT. EXTERIS.

Digitized by Google

TITULI CENOTAPHII

D. M. THERESIAE AUG. IN AEDE S. STEPHANI.

I.

IVSTITIAE. ET. CLEMENTIAE
AVGVSTAE.

II.

OB. LEGEIS
SALVBERRVMAS. POPVLIS. SANCITAS.

III.

OB. PRAEMIA
CIVIBVS. BENE. MERENTIBVS. DECRETA.

IV.

OB. SVBSIDIA
IN. OMNE. MISERORVM. GENVS. TRIBVTA.

I.

HAVE. ET. VALE
MATER. DVLCISSVMA.

II.

ORBIS. AMOR.

III.

EXEMPLAR. PRINCIPVM.

IV.

MIRACVLVM. SEXVS.

I.

QVIETI. AETERNAE
DIVAE. M. THERESIAE. AVG.
HABSBVRGICAE. AVSTRIACAE
GERM. PANNON. BOHEMICAE
MATRI. VXORI. FILIAE
NEPTI. PRONEPTI. ABNEPTI
IMPERATORVM. CAESARVM.

II.

QVOD. PACE
CERIMONIIS. ET. RELIGIONIB. PVBL. SANCTISSVME. TVENDIS
MORVM. DISCIPLINA. EXEMPLIS. ET. LEGIB. OPTVMIS. STABILIENDA
DIVINA. IN. IVRE. DICVNDO. CLEMENTIA. VTENDO
LITERIS. ET. BONIS. ARTIB. AMPLIFICANDIS. EXORNANDIS
MERCATV. PROVINCIALIVM. LATIVS. PROFERVNDO
OMNEIS. OMNIVM. ANTE. SE. MAXVMOR. IMPP. GLORIAS. AEQVAVIT.

III.

QVOD. BELLO
ANIMVM. CONSILIVM. SVPRA. SEXVM. PRAESTANDO
PATRIMONIO. CONTRA. VALIDISS. HOSTEIS. ARMIS. ADSERTO
FINIBVS. IMPERII. CONMVNITIS
AVSPICIIS. SVIS. VIRTVTE. DVCVM. FIDE. LEGIONVM
VICTORIIS. PLVRIMIS. PARTIS
NON. DIMICARE. TAMEN. QVAM. VINCERE. MALVIT.

Digitized by Google

IV.

PRINCIPI. VNICAE
DOMINAE. INDVLGENTISS. MATRONAE. SANCTISS.
CVIVS. INVICTA. VIRTVS. A. SOLA. PIETATE. SVPERATA. EST
IN. FILIO. SVPERSTITI
S. P. Q. VINDOB. MOERENTISS.
AERE. PVBL. CONLATO. P. C.
VIXIT. ANN. LXIII. MENSS. VI. DIES. XVI.

TITULI CENOTAPHII

D. JOSEPHI II. AUG. IN AEDE S. STEPHANI.

I.

ORBI. DATVS
III. ID. MARTIAS. ANNO. CIↃ. IↃCC. XLI.

II.

SVCCESSIT. PATRI
XV. KAL. SEPTEMBR. ANNO. CIↃ. IↃCC. LXV.

III.

SVCCESSIT. MATRI
III. KAL. DECEMBR. ANNO. CIↃ. IↃCC. LXXX.

IV.

COELO. REDDITVS
X. KAL. MARTIAS. ANNO. CIↃ. IↃCC. XC.

Digitized by Google

I.

A. ☧ Ω.

DIVO. JOSEPHO. II. AUG. ROM. IMP.
DD. FRANCISCI. I. ET. M. THERESIAE. AVGG.
FILIO
GERM. HVNG. BOH. DALM. CROAT. SCLAV. GAL. LOD.
REGI
ARCHIDVCI. AVSTRIAE.

II.

IN. VITA
INGENII. ACIE. MEMORIAE. VI. SVMMA. PRAEDITO
ITINERVM. EXPERIENTIA. HOMINVM. VSV. MIRIFICE. EXCVLTO
FASTVS. POMPAE. LVXVS. INERTIAE. IGNAVIAE. OSORI
INFIMIS. QVIBVSQVE. CIVIVM. ET. EXTERNORVM. COMI. ADFABILI
E. REGVM. FORTVNA. NIL. NISI. CVRAS. AD. SE. PERTINERE
ARBITRANTI
A. REGNI. EXORDIO. AD. EXTREMVM. SPIRITVM
NEGOTIIS. VNICE. VACANTI
LABORVM. DOMI. MILITIAEQVE. PATIENTISSVMO

III.

IN. MORTE
AD. SVMMI. RERVM. ARBITRI. NVTVM. PARATISSVMO
INTER. MORBI. MOLESTIAS. CASVSQVE. ADVERSISSVMOS
MENTE. CONSTANTI. SERENO
PVLCERRVMA. CHRISTIANAE. PHILOSOPHIAE. EXEMPLA. EDENTI
SVPREMIS. PRINCIPIS. FRATRIS. AMICI. COMMILITONIS. OFFICIIS
SANCTE. FVNCTO
RELIGIONIS. PRAESIDIIS. OMNIBVS. VLTRO. EXPETITIS. MVNITO
FATALE. MOMENTVM
OCVLO. IRRETORTO. SPECTANTI

IV.

S. P. Q. CIVITATIS. VINDOB.
SVBVRBANIS. COMMODIS. ORNAMENTIS. DELICIIS. AB. EO. AVCTAE
IMMATVRO. TANTI. PRINCIPIS. FATO. INLACRVMANS
SACRO. CHRISTIANORVM. RITV
PARENTAT
IV. III. ET. PRID. KAL. MAIAS
ANNO. CIↃ. IↃCC. XC.

WENCESLAI ANT.

PRINCIPIS KAUNITZII

IMAGINI ADSCRIPTUM.

SALVE
VIR. MAXVME
QVEM
PRINCIPES. CIVESQVE. CERTATIM. AMANT
EVROPA. PRIDEM. SVSPICIT
FORTVNA. SEMPER. REVERITA. EST
HISTORIA. IAM. NVNC. CLARISSVMORVM. HOMINVM. FASTIS. ADSCRIPSIT.

Digitized by Google

TITULUS PEGMATIS

HONORIBUS LEOPOLDI II. EXTRUCTI.

Q. F. F. F. Q. S.
LEOPOLDO. II.
REGI. HVNG. BOH. ARCHIDVCI. AVSTR.
PRINCIPI. OPTVMO. SAPIENTISS.
ORDINIBVS. PROVINCIAE. IN. FIDEM. ACCEPTIS
ANNO. CIↃ. IↃCC. XC. VIII. ID. APRIL.
S. P. Q. V.
SPE. NOVI. SECVLI
PVBLICE. LAETVS
EXORNAVIT.

TITULI CENOTAPHII

D. LEOPOLDI II. AUG. IN AEDE S. STEPHANI.

I.

☧
ADESTE
CIVES. POPVLARES. ADVENAE
IVSTA. SOLVIMVS
D. LEOPOLDO. II. AVG. ROM. IMP.
DD. FRANCISCI. I. ET. M. THERESIAE. AVGG. FILIO
D. IOSEPHI. II. AVG. FRATRI
GERM. HVNG. BOH. DALM. CROAT. SCLAV. GAL. LOD.
REGI
ARCHIDVCI. AVSTRIAE.

Digitized by Google

II.

QVI. DOMI
PATRIS. PROBITATEM. MATRIS. CLEMENTIAM. FRATRIS. SEDVLITATEM
SE. VNO. COMPLEXVS
HETRVRIA
XXV. ANNIS. SECVNDISSVMA. FAMA. ADMINISTRATA
AVSTRIAE. EHEV. OSTENSVS. TANTVM
MAGNAS. PROVINCIARVM. SPES. IMPLEVIT
MAIOREIS. DESTITVISSET
NISI. MAXVMAS. RELIQVISSET. IN. FILIO.

III.

QVI. FORIS
CERTA. PACIS. BONA. PRAEFERENS. ANCIPITI. GLORIAE
FELICITATIS. PVBLICAE. STVDIO
SVPERATA. TEMPORVM. DIFFICVLTATE
PRINCIPVM. AMICITIAS. SIBI. CONCILIATAS. PACTIS. FIRMAVIT
ROMANI. IMPERII. CAPVT
MEMBRORVM. IVRA. GRAVITER. ET. MODERATE. TVERI. ADGRESSVS
INTER. IMMORTALEIS. SVBITO. RELATVS. EST
NE. ILLVM. MORTALIVM. VOTA. MORARENTVR.

IV.

PRINCIPI
PIO. SAPIENTI. MITI. LIBERALI. OPTVMO
S. P. Q. V.
HVMANISSVMI. DOMINATVS. MEMORES
E. SACRORVM. CHRISTIANORVM. PRAESCRIPTO
TRIDVO. FERALI. NON. VIII. VII. ID. MAI.
AVE. ET. VALE. IN. PACE
VERE. PATER. PATRIAE
LONGVM. ARGVMENTVM. LVCTVS. TVIS.

Digitized by Google

I.

NATVS. VINDOBONAE
III. NONAS. MAIAS
ANNO. CIↃ. IↃCC. XC.

II.

POST D. PATREM
MAGNVS. HETRVRIAE. DVX
ANNO. CIↃ. IↃCC. LXV.

III.

POST. D. FRATREM
REX. HVNG. ET. BOH. ET. ROM. IMPERATOR
ANNO. CIↃ. IↃCC. XC.

IV.

DECESSIT. VINDOBONAE
KALENDIS. MARTIIS
ANNO. CIↃ. IↃCC. XCII.

560.339

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google